
HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY

DE C. SOLLII APOLLINARIS SIDONII IMITATIONIBUS STUDIISQUE HORATIANIS

SCRIPSIT

MAURITIUS SCHUSTER,
PHILOSOPHIAE DOCTOR.

VINDOBONAE.
IN AEDIBUS R. LECHNERI ET FIL.
MCMVIII.

LIPSIAE
APUD ROB. HOFFMANN.

PARISIIS
APUD F. A. BROCKHAUS.

DE
C. SOLLII APOLLINARIS SIDONII
IMITATIONIBUS STUDIISQUE HORATIANIS

SCRIPSIT

MAURITIUS SCHUSTER,
PHILOSOPHIAE DOCTOR.

VINDOBONAE.
IN AEDIBUS R. LECHNERI ET FIL.
MCMVIII.


LIPSIAE
APUD ROB. HOFFMANN.

PARISIIS
APUD F. A. BROCKHAUS.

Epilogus.

In proferendis his similitudinibus plura paucis protulimus. Etenim, quod iterum ac saepius (cf. potissimum ea, quae pag. 50. adn. 2. diximus) contendimus, Sidonium occulte Horatium imitatum esse nobis erat persuasum. Nonnulli loci, qui non directae relationis speciem prae se ferunt, tamen iis, qui Apollinaris Sidonii libros interpretabuntur, bonam praebebunt utilitatem.

Scribebam Vindobonae
mense Februario anni MDCCCCVIII.



Index locorum,
qui ad artem criticam spectant.

De C. Sollii Apollinaris Sidonii

imitationibus studiisque Horatianis

scripsit

Dr. MAURITIUS SCHUSTER.

De imitationibus Horatianis, quarum indicia apud poetas orationisque solutae scriptores et aetatis Augusteae et antiquitatis posterioris investiganti se offerunt, complures viri doctissimi peculiaribus voluminibus copiosius atque fusius disputaverunt. Neque vero res est futilis plane et inanis perscrutari subtiliter libros scriptorum, qui ad Musae Venusinae auctoritatem sese conformaverunt, quoniam ex quaestionibus huius generis varii variis e locis fructus queunt decerpi.

Namque primum ita sponte intellegi posse puto, quantam praeter Vergilium Horatius[1]) quidem dignitatem apud poetas suae sibi aetatis conciliaverit, quali laude scriptorum etiam extremae antiquitatis viguerit: hoc verum magis ad liquidum perducetur, si declaratum erit institisse Flacci vestigiis etiam C. Sollium Modestum[2]) Apollinarem Sidonium, quem scriptorem quinto p. Chr. n. saeculo extremo epistularum libros novem et carmina viginti quattuor composuisse constat.

Deinde eo luculentius apparebit, quibus ex fontibus scriptor ille, qui prorsus magnifice loqui atque incitatius ferri studet, dicendi lumina ac sententiarum copiam hauserit: ideoque liquebit in Sidonii libris haud multum inesse proprietatis indolisque nativae.[3]) Tum vix infitiari potest quisquam poetae Venusini non minus quam Lugdunensis libris labeculam hic illic esse aspersam temporum iniuria; perlustrantem verum atque comparantem utriusque scriptoris carmina epistulasque neutiquam loci quidam fugient, qui verbis Horatianis sive Sidonianis emendandis, restituendis, rectius coniungendis saltem aliquid commodi adferent ac medellae. Denique in Sidonii Horatianae imitationis genus inquirere ideo haud pigebit, quippe cum exquisitis rationibus, quae inter utrumque poetam intercedant, in totum scribendi modum Sidonianum quodammodo altius penetrare possimus.

---

[1]) Hoc planius percipiemus, si deliberaverimus Horatiana quoque carmina pueros in ludis litterarum studiosa lectione tractavisse atque edidicisse, quod ipsum sibi poetam vaticinatum esse haud ignoramus (Cf. Hor. ep. I, 20, 17). Cf. etiam Schanz, litt. lat. hist.[2] II, 1 p. 128 sq.

[2]) De Modesti nomine dubitat Sirmondus, quia in codd. soli carmini quarto praescriptum exstat. Sed cf. Gustafsson, de Apollinari Sidonio emendando. Helsingforsiae, 1882. p. 13.

[3]) Errare igitur videtur Baretus, qui in edit. Sid. Ap. (Paris. 1879, p. 1.) haec dicit: Sidoine Apollinaire est un exemple mémorable de la puissance du talent et de l'influence des lettres. —

Priusquam ad singulos locos Horatianos Sidonianosque, qui cognatione quadam inter sese coniuncti sunt, adferendos me accingam, haud alienum mihi videtur quam brevissime exponere, quid usque ad nostram hanc aetatem homines litterati in indagandis Sidonii studiis Horatianis sint consecuti, ut meae ipsius obseıvationes ab illis facile possint distingui. Enimvero Apollinaris quin Flacci carminum gnarus fuerit, praesenti hoc tempore dubitationem habet nullam.

De rationibus igitur, quae inter Horatium Sidoniumque exstant, primus summatim dissertavit Herm. Paldamus in commentatione actis gymnasii Gryphisvaldensis a. 1851 praemissa, quae inscribitur »De imitatione Horatii«. Ad Apollinaris imitationem Horatianam designandam illic duo levia exempla leguntur p. 20 proposita. Sed singula argumenta plura atque graviora, quae huc pertinent, late dispersa iam ante Paldamum veteres Sidonii editores adnotaverunt, in his praecipue Jo. Savaro, cuius editio prodiit Parisiis 1599; ed. alt. 1609.[1]) Nonnulla quantumvis vilia indicia praebet Jac. Sirmondus.[2]) Recentiore aetate — ne de inutili Eug. Bareti editione meminerim[3]) — Christianus Luetjohann primus rationibus artis criticae innixus epistulas et carmina Apoll. Sidonii recensuit emendavitque Berol. 1887 (= Mon. Germ. hist. auctt. antiquiss. fasc. VIII.) Huic editioni amplissimae Eugenius Geislerus adiunxit corollarium locos similes auctorum Sidonio anteriorum continens (pag. 351—416), ubi aliquoties Venusini quoque poetae mentio fit.

Complura imitationis Sidonianae documenta etiam Horatii interpretes ad Flacci carmina aut illustranda aut emendanda attulerunt, in illorum numero longe plurima Hofmann Peerlkampius, litterarum Romanarum ille peritissimus, cuius carminum Horat. editio prima prodiit Harlem. a. 1834.[4]) Neque minus erudite O. Kellerus et A. Holderus in editionem carm. Hor. ab ipsis procuratam[5]) idonea quaedam testimonia Sidoniana receperunt. Sed ea, quae S. Obbarius[6]) non sine laudabili diligentia conquisivit (cf. l. l. pag. 34, 38, 43, 62, 64, 86, 99, 103, 368 al.) ideo neglexi, quia loci illi, qui partim ad singulorum vocabulorum vim examinandam spectant, partim longius repetiti sunt, ad hunc usum inutiles esse mihi videbantur.

Denique variis in libellis dispersos inveni locos huc pertinentes, quos viri docti, prout occasio erat oblata, passim libris suis inseruerunt. Sunt vero volumina haec: O. Keller, Epilegomena zu Horaz, pag. 46, 122, 176, 422. Ed. Woelfflin, Lat. u. rom. Comparation pag. 8. R. Unger, de Valg. poem. pag. 398; eiusdem auctoris »emend. Horat« pag. 3; Ant. Zingerle »Zu spät.

[1]) Ubi Savaronis editionem laudavi, posterioris semper editionis rationem habui, cuius index est: C. S. Ap Sidonii, Arvernorum episcopi, opera Jo. Savaro multo quam antea castigatius recognovit et librum commentarium adiecit. — Summum huius editionis pretium in libro commentario bonae frugis pleno positum est. Quam editionem haud male describit Eug. Geislerus „de Ap. Sidonii studiis" p. 2 sq.

[2]) C. S. Ap. Sidonii opera Jac. Sirmondi cura et studio recognita notisque illustrata. Edit. alt. Parisiis. 1652. Sirmondus multa exempla congessit, quibus Apollinaris sui ipsius aemulum se praebet.

[3]) Oeuvres de Sidoine Apollinaire, texte latin par M. Eugène Baret, Parisiis 1879. Hic in Sirmondi vestigiis ingressus est.

[4]) At quae Peerlkampius proponit, maximam partem iam Savaro docuerat. Nescio an hic vir doctus ea ex Savaronis commentario desumpserit, cum uterque interpres si non multa tamen eadem exempla proferret. Atqui sat multa restabant, quae Peerlkampius non curavit.

[5]) Ed. prima Lipsiae 1864--70; carm. et epodon lib. iterum rec. O. Keller 1899.

[6]) Q. Hor. Flacci epistulas commentariis uberrimis instructas ed. S. Obbarius. Lipsiae. 1855. Sed posterior epist. liber non tractatur. —

lat. Dichtern« I, p. 11.[1]) Praeterea Martinus Hertz magnam partem eorum, quae usque ad annum 1882 homines litterati hoc in genere erant persecuti, complexus est opere illo praeclaris fructibus uberrimo, cuius index est: Analecta critica ad carminum Horatianorum historiam.[2]) Respicit Apollinarem Sidonium Hertzius l. l. fasc. V. pag. 16 sq. et pag. 19 notulis 1 et 6 additis. Nova autem aemulationis Sidonianae argumenta ipse attulit nulla.[3])

Ultimus huc — ne quid desideretur — referendus est Eugeni Geisleri libellus »de Apollinaris Sidonii studiis«, Vratislaviae a. 1885 emissus. Suo certe iure huius opusculi auctor Savaronem curiose respexit. Praeterea multos locos aliorum virorum cura conquisitos protulit, sed ipse de suo neque multa neque nova addidit indicia (p. 17 sq.), quae aemulationis Sidonianae speciem prae se ferrent. Ceterum hanc dissertationem auctor corollario illo Chr. Luetjohanni editioni adiecto paene supervacaneam reddidit.

Post Geislerum nemo hac de re subtiliorem quaestionem habuit. Attamen Geislerum aliosque homines doctos Horatium vix tam accurate novisse contendo, quam Apollinaris gnarus fuit Musae Venusinae, qua re factum est, ut materia sat ampla denuo investiganti relinqueretur.

Restat, ut quaestionem saepius prolatam, quem poetam Sidonius imprimis, quos rarius expresserit, paucis percenseam. Namque futurum esse censeo, ut fructus haud spernendi hac e disputatione capiantur, si quidem illam disceptationem ad verum propius admoverimus. Dico igitur Paulum Mohrium toto caelo erravisse, cum in libello suo, qui inscribitur »Zu Sidonius carmina« (Gymn.-Progr. Laubach, Frankfurt a. M., 1881. p. 3), ubi demonstrare studet, quo fere ordine enumerari debeant poetae, quorum auctoritates spectaverit Apollinaris, Horatii paenultimo loco protulit mentionem. Sed haec, quae vana coniectura continentur, his observationibus a me institutis satis refutata sunt. — Mohrianae opinionis pravitate aliquatenus E. Geislerus est infectus, qui in diss. p. 35 sq. vix multo probabiliorem sententiam insecutus Horatium quarto loco nominandum esse censuit. Ille quidem rem acu non tetigisse mihi videtur, quod ipse in Sidonii studia Horatiana minus subtiliter inquisivit ideoque illud, quod cadit in controversiam, quasi sub iudice reliquit: nam cum Horatium in quarto loco poneret, fallacem sane collegit conclusiunculam. — At equidem in hac sum sententia, ut haud dubitem contendere Horatium non minus quam Papinium Statium[4]) Claudiumque Claudianum[5]) ab Apollinare Sidonio esse expressum. Discrimen aliquod tantum in varietate rationum positum est, quas variis in scriptoribus imitandis Sidonius secutus est; sed de ea re hac disputatione finita copiosius disserere iuvabit.[6]) Nunc vero opinionem meam argumentis sat probabilibus gravibusque confirmare atque evincere propositum est.

---

[1]) Zingerleus autem ad Apollinaris imitationem Hor. adumbrandam Peerlkampii locum (iam a Savarone laudatum) ad Hor. c. IV, 9, 8 appositum protulit, quamvis se tantum minus nota allaturum esse promisisset.

[2]) Commentatio quinquepartita indicibus lectionum univ. Vratisl. addita, cuius singulae partes prodierunt a. 1876—1882.

[3]) Neque vero id secutus est Hertzius, ut multum novi adferret; cf. anal. crit. fasc. I pag. 11, ibid. V, pag. 16.

[4]) Cf. Rud. Bitschofsky, de G. S. Apollinaris Sidonii studiis Statianis. Vindob. 1881.

[5]) Cf. Ludov. Jeep, Claudiani carmina, vol. II. praef. p. 57—76. (De Sidonio Claudiani imitatore); E. Geisler, diss. p. 19—33; Maxim. Kulla, quaest. Stat. Vratisl. 1881. p. 28—36; Mich. Fertig, „C. S. Ap. Sidonius u. s. Zeit“ vol. III. (Passau 1848) p. 15. — P. Mohr Sidonium Claudiani studiosissimum fuisse opinatur.

[6]) Vergilius Ovidiusque quem in ordinem sint redigendi, tum demum dici licebit, si quis illorum poetarum studia Sidoniana maiore cum diligentia erit perscrutatus. Nonnulla praebet praeter Savaronem E. Geisler in diss. p. 5 sqq.; 34 sq.

Quod autem locorum comparandorum momentum ac rationem attinet, L. Jeepii sententiam (cf. Cl. Claudiani carm. vol. II, p. 147) prorsus accipiam, quae haec est: »Utrum is semper, quem attulimus in nostris comparationum conspectibus, poeta (vel scriptor) fuerit, ex quo hauserunt, quos nominavimus imitatores, an alter quidam, cuius scripta et poemata dudum temporum iniuria deperdita sunt, nunc accurate dici non licet latina litteratura sic ut factum est truncata«. Indicare modo possumus eandem rem iam antea a poeta vel scriptore quodam item tractatam esse, id quod eo dignius est commemoratione, quo seapius vel certius repetitio eiusdem potest demonstrari. Sic tandem perveniemus non tantum ad meliorem interioris historiae litterarum Romanarum notitiam, sed etiam ad iustiorem eius quam nunc dicimus aestheticam aestimationem, a qua satis longe nos adhuc abesse puto.[1]) Unum mihi adiciendum esse videtur, si aemulus quidam idem exempli sui carmen vel solutae orationis scriptum identidem significatione appellat, vix esse, quod imitatorem ex alterius scriptoris libro res vocesque decerpsisse credamus.

His praecise expositis iam partes sum designaturus, quas in tractanda hac quaestione amplecti mihi est in animo. Ordiendum enim videtur ab iis locis, quibus Apollinaris Flacci ipsius mentionem facit ita, ut nomen Horatii nominet vel locum illius poetae proferat addito scriptoris nomine. In partem alteram ii loci redigendi videntur, quibus Sidonius longiores carminum Horatianorum partes ita respexit, ut aut in verborum forma aut sententiarum similitudine memorabilis imitatio Sidoniana dispici possit. Tertii esse generis arbitramur locos, quibus voces singulae atque comprehensiones adferuntur, quae sermonem poesis Horatianae redolent. Quarta huius disputationis parte illorum locorum rationem sum habiturus, qui ad res metricas spectant: imprimis versuum initia clausulasque utrique poetae communes in examen vocabimus. In ultima sede eos locos ponemus, qui ad Sidonii epistulas spectant. Finem denique quaestioni imponamus ita, ut eas res, quas variis locis dispersas explicavimus, congregatas sub unum aspectum subiciamus, quo universi fructus, qui hac ex quaestione redundant, commode percipi queant.

[1]) Maxime Q. Ennii annales interiisse dolemus, quorum ex fragmentis luculenter perspicimus, quali iure poetae posteri ei patris nomen indiderint. Cf. A. Zingerlei „Ovidius u. s. Verh. zu den Vorgängern". Oenopont. 1871. fasc. II, pag. 1 sqq.

I.

Exordium igitur capiamus ab iis locis Sidonianis, quibus poeta aut Horatiani nominis mentionem inicit aut locum quendam ex Flacci carminibus laudat nominatim. Verbosius autem his de locis disserere ideo mihi proposui, quia inde dilucide perspici potest, quale iudicium Apollinaris de poematis Horatianis tulerit. Porro his locis haud secus atque ipsis verbis ab Horatio depromptis dispicitur, cum quanta studiorum diligentia Flacci carmina legerit atque cognoverit Sidonius idque iis potissimum locis, ubi ipsa Horatii verba laudantur: poetam enim summum in illa quidem poetae Venusini poemata studium impendisse infra videbimus.

Atque primum quidem Horatiani nominis mentionem legimus epist. I, 11, 1:

vel salutanti Calaber ille non dixit:

»si mala condiderit in quem quis carmina ius est iudiciumque«.

Calaber ille est Horatius; versum hic allatum Sidonium debere Horatio (sat. II, 1, 82 sq.) non est, quod moneam. Apollinaris autem, qui Calabri illius librum usque lectione tractavit, illum sine dubio evolvit, ut ea verba exscriberet. Namque Sidonium illum versum ex memoria petivisse minus probaverim. Quam Horatii satiram Sidonii e memoria nunquam effluxisse infra liquebit. Quin in hac ipsa epistula Sidonius (cf. cap. 3 solvitur Catullinus in risum) sat luculententer significat illud Flacci poema; cf. v. 86 solventur risu tabulae.

Alter locus exstat apud Sidon. ep. II, 9, 4 »nam similis scientiae viri, hinc Augustinus hinc Varro, hinc Horatius hinc Prudentius lectitabantur«. Hoc igitur ex loco apparet aetate illa, qua fuit Sidonius, Horatium prope unum — posthabito fortasse Vergilio — ex universis Romanorum poetis excellentissimis adsidua lectione esse tractatum.

Saepissime autem Horatii nomen propositum videmus in octavo epist. Sid. libro. Primum igitur ep. IX, c. 1 »quia forsitan satiricum illud de satirico non recordaris: satur est cum dicit Horatius euhoe«. Sidonium hunc versum mutuatum esse ab Juvenale (sat. VII, 62) interpretes Sidonii recte docuerunt.[1] Sed cum alii viri docti hunc locum ab Juvenale memore Horatii c. II, 19, 15 sq. scriptum esse scite animadvertissent, Jo. Savaro haec verba profecta esse suspicatur ab Hor. sat. I, 5, 12; ille enim per errorem (v. pag. 517) Horatii locum ita profert »euhoe iam satis est« atque interpretatur »bacchantium ululatus in orgiis«. At ipso loco Horatiano non »euhoe« sed »ohe« legitur, quare Savaronis sententia ut vana reicienda est. — Deinde in eodem libro (epist. IX, c. 3 v. 24) legimus haec: »aut quo tu Latium beas Horati Alcaeo melior lyristes ipso«. Multum sane hi versus ad rem nostram

[1]) O. Keller versatur in errore, qui (epileg. zu Hor. p. 176) hunc versum imputat scholiastae Invenalis dicens : Auf diesen Vers scheint anzuspielen Ap. Sidon. VIII, 9. Daraus wieder entnommen ist schol. Iuv. VII, 62 : Satur est cet.

valent. Luculentissime enim hic conspicitur, quid ille scriptor de vatis Venusini arte scribendi senserit: nimia profecto veneratione Apollinaris Musam suspexit Horatianam, quam his versibus immoderato, ut ita dicam, honore prosecutus est. Nam mehercle ne ipse Horatius quidem, qui poeta quamvis pudens suae artis iudex sit[1]), tamen ingenii sui facultates nequaquam contemnit, (cf. c. II, 20; III, 30; IV, 9, 1 sq.) ne Horatius quidem, inquam, cum Alcaeo se componi posse animo suo finxit. Conferas Hor. ep. II, 5, 99 sq., ubi Flaccus alium alius poetae laude crescere dicit pergitque

discedo Alcaeus puncto illius, ille meo quis?
Quis nisi Callimachus?

Liquet verba illa esse iocosa: Horatius Alcaeo par esse neutiquam sibi videbatur. Sed Apollinaris eum Alcaeo meliorem dicit poetam.[2]) Sidonius autem hoc loco levi memoria Horatii (ep. II, 2, 99 dico) suscitatus Flacci sententiam in contrariám convertit. Praeterea in verbis »quo tu Latium beas« iisque, quae paulo antecedunt »Arpinas lingua ditat« (v. 22 sq.) statuenda est imitatio eiusdem epistulae Horat. v. 121 »Latium beabit divite lingua« cf. art. poet. 56 sq. cum lingua Catonis . . sermonem ditaverit.

Nec minus eximia laus poetae Venusino impertitur ab Sidonio ep. VIII, 11, 7 »in lyricis autem F l a c c u m s e c u t u s nunc ferebatur in iambico citus . . in Alcaico flexuosus, nunc in Sapphico inflatus«. Adiectiva singula apposita, quibus designatur, qua vi versuum illorum systemata legentis animum moveant, etiam metrorum Horatianorum vim insigniunt. In verbis autem »ferebatur in iambicis citus« conscribendis scriptor f o r t a s s e memorem sese praestitit Horatii art. p v. 251 sq. . . , »vocatur iambus pes citus«.

Pergit post haec verba Sidonius: »Quid plura? Subtilis aptus instructus quaque mens stilum ferret eloquentissimus, prorsus ut eum iure censeres p o s t H o r a t i a n o s e t P i n d a r i c o s c y g n o s g l o r i a e p e n n i s e v o l a t u r u m«. Quibus verbis Apollinaris in Horatii scriptis omnem artis poeticae perfectionem atque elegantiam collocat. Immo vero Flaccum comparat cum cygno Dircaeo eiusque nomen — si quid id est in p r i o r e sede ponit. Neque prorsus illum tenuis ille lusor amorum (cf. c. I, 6, 17 sqq.) honorem adfectaverat,[3]) cum nec dignus nec aptus sibi videretur, qui Pindarum studeret aemulari (c. IV, 2). Horatium cum Pindaro coniunctum legimus etiam apud Sidonium ep. IX, 13, 2 carminis inserti v. 5 sqq., cui loco antecedunt verba haec (ep. IX, 13, 2): praeter hoc poscis, ut H o r a t i a n a i n c u d e f o r m a t o s A s c l e p i a d e o s — transmittam. Inde patet Sidonium plurimi pependisse Flacci artem metricam imprimis verum »Asclepiadeos« h. e. systema, quod vocant Asclepiadeum primum, quo metro Sidonius usus est in componendo poemate, quod huic epistulae intextum est. Neque profecto hic locus indiget vestigiis imitationis Horatianae, cuius fundus reperitur art. poet. v. 440 sq. . . delere iubebat

et male tornatos incudi reddere versus.

[1]) Dicit enim c. I, 6, 9 sqq. sese a fundendis sublimioris spiritus poematis ideo abstinere, quod imbellis lyrae Musa potens vetet; adde carm. II, 1, 37 sqq., II, 16, 37; III, 3, 69: IV, 2, 27 sqq; porro sat. I., 4, 17 sq et ibid. 39 sqq. ubi segregari vult a verorum vatium numero.

[2]) Sidonii epitheta laudesque poetis donatae non magni momenti sunt, quibus ille se doctum litteratumque praestare studet.

[3]) Atque summa Horatio laus est tribuenda, quippe qui ingenii sui fines recte intellexerit. Ingeniose hac de re Wilamowitzius, ‚Bakchylides' Berol. 1898, pag. 10 sq.

Praeterea huc referendus est locus (ep. IX, 15, 1 v. 29 sqq.), ubi poeta post Pindarum Horatii mentionem facit hanc:

at uterque vatum si lyrae poeticae
Latiare carmen aptet absque Dorico,
Venusina, Flacce, plectra ineptus exeras
Japygisque verna cygnus Aufidi e. q. s.

Quibus in versibus componendis Sidonius commotus esse videtur recordatione Horatii: cf. epist. I, 3, 12 sq. fidibusne Latinis

Thebanos (h. e. Pindaricos) aptare modos studet . . .

simil. etiam Hor. c. II, 12 v. 4 »aptare citharae modis«. (Si sententiarum cognationem missam feceris, ex consimili aptandi vocabuli usu utriusque loci conspiratio apparebit.) Sed iam transeamus ad alium locum attente observandum, dico ep. IX, 16, 4: redeamus in fine ad oratorium stilum materiam praesentem proposito semel ordine terminaturi, ne, si epilogis musicis opus prosarium clauserimus, secundum regulas Flacci, ubi amphora coepit institui, urceus potius exisse videatur. Significat Sidonius versus Horatianos, qui exstant art. p. 21 sq. . . amphora coepit

institui; currente rota cur urceus exit?

Videmus Apollinarem exempli sui verba satis accurate adferre; attamen versus ipsos Horatianos non profert scriptor. Ergo adfirmari licebit poetam haec scribentem Horatii carmina manibus non tenuisse, ut illa verba exscriberet sed de memoria illum Flacci locum attulisse: cui rei vim haud mediocrem attribuendam esse censeo. Nonne vero inde ratiocinari possumus Apollinarem Horati poemata subtili memoria esse complexum atque imprimis artis poeticae volumen? Et certe epistulam ad Pisones missam tam firma custodivit recordatione, ut ex ea praeter hunc locum alterum quoque[1]) de memoria proponeret neque ullum Musae Horatianae opus tam repetita significatione appellaret. — Verum huc aliud accedit, quod hoc loco paulo subsistamus. Sidonius enim — quod saepius factum videmus -- sententiam huius loci Horatiani vix plane percepit, cum diceret sese verba quaedam oratione prosa concepta addere huic carmini epistulae adiecto, ne ipse praeceptorum Horati exsisteret adversarius. Quid autem? Nonne satis liquet illis Flacci verbis nil aliud declarari nisi haec fere: caveat scriptor, ne materiam magnifice coeptam ad debilem tenuemque exitum adducat? Num autem amphora coepit institui, cum Sidonius a simplice oratione soluta scribendi initium faceret? Num urceus exisse videretur, si versibus illis sapphicis (nimirum Sidonium artem poeticam suam oratione soluta pluris duxisse ponere licebit) epistulae finem constituisset?

In carminibus Sidonianis Flacci nomen scriptum videmus primum c. IV, 9 »et tibi, Flacce, acies Bruti Cassique secuto carminis est auctor . . Sidonius hoc loco recordatus est carminis notissimi Horatiani II, 7. Inde obiter tangam Sid. carm. IX, 221 sqq., ubi scriptor ille tota lyricorum Romanorum principis poemata enumerat. Sidonius hoc loco Horatii epistulam ad Pisones missam nominat artem poeticam, quem locum (v. 223) M. Schanzius (litt. lat.[1] h. II, 1 p. 113 Antike Zeugnisse über den Brief an die Pisonen) addere debebat; at hunc locum, quem ipse laudat: Sid. c. XXII, ep. 6 extr.

[1]) carm. XXII, ep. 6 extr. , de quo loco mox sumus disputaturi; utrumque locum Apollinaris identidem significat; saepius Horatianum illud „currente rota", quod hoc loco legimus, repetit velut c. XXII, 124, V, 295.

. . . »ut lyricus Flaccus in artis poeticae volumine praecipit, multis idemque purpureis . . pannis semel incohatas materias decenter extendit.« Huius quoque loci Horatiani (art. p. v. 14 sqq.) sententiam Sidonius non intellexit: nam poeta Venusinus illa non praecepit, sed interdixit, ne fierent. Cf. Bareti edit. p. 574 adn. 1. Sine dubio Apollinaris haec quoque ex memoria protulit, qui illum locum recenti custodivit memoria; unum ex multis adferam exemplum ep. IX, 16, 3. v. 33 »multa multis texui pannis«. — Sidonius sane, ut hoc addam, in commenticio illo praecepto usque perseverasse videtur.

Postremum de Horatio mentionem legimus allatam apud Sidonium in c. XXIII, v. 452 sqq.

mordacem faciat silere Flaccum
quamvis post[1]) satiras lyramque tendat
ille ad Pindaricum volare cygnum.

Mordacem nominat poeta Horatium propter satirarum acerbitatem (cf. Hor. sat. II., 1, 1.) In verbis autem hisce »quamvis tendat ille ad Pindaricum volare cygnum« allusio inest referenda ad Hor. c. IV, 2, 25 sqq. »multa Dircaeum levat aura cygnum, tendit, Antoni, quotiens in altos nubium tractus«. Vocem illam singularem »Dircaeum cygnum« penitus in Sidonii memoria insedisse inde concludimus, quia illam iterum ac seapius denotat. Cf. ep. IX, 15, 1 v. 32, ep. VIII, 11, 7 cet.

[1]) Hoc loco indicatur Leonem optime fecisse, quod Sid. IX, 221 scribundum esse statuit: „post satiras" (codd. per s.). Nihil enim sollemnius Sidonio quam vocum sententiarumque repetitio.

II.

In altera hac quaestionis parteea imitationum Sidonianarum argumenta in examen vocabimus, quibus scriptor ille longiores carminum Horatii partes ita respexisse videtur, ut sive sententias sive verba vocesque vatis Venusini in artem suam convertert. Priore autem in sede illos locos in medium sum prolaturus, ubi Sidonius idem Horatii carmen repetita appellavit significatione.

Quapropter incipiamus ab exemplo, quod supra commemoravimus, dico Sid. c. IX, v. 215 »Stesichori graves Camenas«. Atque profecto est exemplum, quo luculentius vix potest adferri. Sed tantum abest, ut Sidonius unam illam vocem imitando expresserit, ut quantam vim in Apollinaris mentem totum illud Horati carmen (atque maxime v. 5 sqq.) exercuerit, neminem propius intuentem praeterire possit. Quocirca illos Horatii versus integros liceat exscribere, qui sunt c. IV, 9, 5 sqq.

non, si priores Maeonius tenet
sedes Homerus, Pindaricae latent
Ceaeque et Alcaei minaces
Stesichorique graves Camenae,
nec, si quod olim lusit Anacreon,
delevit aetas; spirat adhuc amor
vivuntque commissi colores
Aeoliae fidibus puellae.

Unumquemque fere illorum versuum Sollius variis locis spectavit ita, ut Flacci sententias verbis plerumque in voces usitatiores declinatis retineret; iam versus singulos deinceps perlustremus. Horatii verba »non si priores Maeonius tenet sedes Homerus« Apollinarem ante oculos habuisse puto, cum haec scriberet:

carm. XXIII, v. 134 sq. »primos vix poterant locos tueri
torrens Herodotus, tonans Homerus«.

Vocabulis singulis utriusque loci cognatio arguitur; Sidonius Horatii verba commutavit h. e. pervulgatis compensavit; Flaccus dicit: priores sedes tenere, Sidonius : primos locos tueri; adde, quod utroque loco de Homero mentio fit, quem Horatius elegantius quam aemulus vocat »Maeonium Homerum«. — Neque vero minus aemulatio Sidonii manifesta deprehendi potest in c. IX v. 212 sqq., qui versus tamquam distincti sunt coloribus Horatianis:

(non hic) spectes carmina Pindarique chordas; . . . .
non laesi Archilochi feros iambos,
vel plus Stesichori graves Camenas,
aut quod composuit puella Lesbis, non quod . . . .

Opinor igitur Sollium in fundendis illis versibus sese composuisse ad Horatii exemplum (c. IV, 9, 6 sqq). Etenim ut missa faciam poetarum Graecorum nomina utrique loco communia, qualia sunt Pindarus, Homerus, Sappho, Stesichorus[1]), eandem loquendi rationem indicat latior illa enuntiatio »aut quod composuit p. L.« pro simpliciore dictione »Sapphus carmina«, quae verborum coniunctio aliquatenus conspirat cum Horatiana »nec si quid lusit

[1]) de Stesichoro nec Horatius nec Sidonius altero loco mentionem iniciunt.

Anacreon«; ipsius autem huius loci memor scripsit Sid. ep. IX, 16, 3 v. 46 sq.

quidquid extremis sociamur annis . . . si quid leve lusit aetas.

Singulare autem Horati enuntiatum »Aeoliae fidibus puellae« Apollinaris sine dubio imitatus est l. l. v. 216, ubi per eundem sermonem figuratum »composuit puella Lesbis« Sappho poetria significatur.[1]) Vocem similem tantum apud Ovidium legimus Heroid. IV, 2 Cressa puella (i. e. Phaedra).

Horatii locutionem »spirat adhuc amor vivuntque commissi calores« componam cum Sid. c. XV, v. 9 »effigies vivitque anima pereunte venustas«. Apollinaris hoc loco cum exemplo suo quasi certavit; Horatius breviter dicit »adhuc«, quod Sidonius clarius expressit verbis »anima pereunte«; cf. etiam Horatiana »amor vivuntque colores« cum Sidonianis »vivitque venustas«. — Sed his imitationum argumentis finem imponere nequeo, quin commemorem Sidonium eandem anaphoran adhibuisse ac poetam Venusinum, qui versus singulos incipit a negatione (cf. Hor. l. l. v. 5, 9, 13; dein 18, 19, 21); Sidonius autem hunc usum in infinitum extendit: cf. v. 213, 214, 217; dein 221, 226 cet.[2])

Jam viam initam continuabo. Carmen aliud Horatianum, cuius compluries recordatur Sidonius, est c. I, 7. Ibi Horatius suo quemque studio poetam obsequentem varias urbes laude prosequi exponit; nonnullis, ut ait poeta, unum opus est v. 7 sqq.

undique decerptam fronti praeponere olivam;
plurimus in Junonis honorem . . .

Qui versus Apollinaris menti obversabantur, qui huius loci vestigia pressit in epist. IX, 13, 5 v. 93 sqq.

ab omnibus probatus rapit hinc et inde palmam,
per et ora docta fertur.

In comparandis utriusque poetae versibus id quaeso contempleris, quali sollertia Sidonius Horatii verba variaverit. Nonne miro quodam modo Horatianum illud »undique« in »hinc et inde« discindit? Nonne sollerter illud »olivam» compensat verbo »palmam»? Neque vero minus id conspicuum esse mihi videtur, quo pacto poeta Horati acute dictum »decerptam« vocabulis haud minus gravibus substituerit, dico illis »rapit et.« Eundem poetae Venusini locum Apollinarem ante oculos habuisse opinor c. II, 324: plurima per frontem constringens oppida palmes. Redeunt ad exemplar Horatianum illa »per frontem constringens palmes« (Hor. fronti praeponere olivam), quae Sidonius superiore loco non tam clare expressit.

Certis vestigiis Sollii studium Horatianum iis deprenditur locis, quibus ad verborum depromptorum similitudinem similis versus structura accedit. Dicit autem Sidonius in c. VII, v. 532 sqq.

quam nos per varios dudum fortuna labores
principe sub puero laceris terat aspera rebus,
fors longum, dux magne, queri . . .

[1]) Hoc loco Horatiano fulcitur Luetjohanni coniectura, quae est „Lesbis" (codd. lesbi). Quam P. Mohrus iure in contextum recepit.

[2]) Sidonium locutionem „Archilochi feros iambos" l. l. v. 214) debere Hort art. p. 79 v „Archilochum proprio rabies armavit iambo" vix crediderim. At cf. Geisler in Luetj. edit. p. 401.

Haud dissimiliter Horatius Teucrum a patre expulsum socios sollicitudine adfectos consolantem fingit carm. laud. v. 25 sqq.

quo nos cumque feret melior fortuna parente
ibimus, o socii comitesque!
Nil desperandum Teucro duce . . .

Notatur utriusque loci consensus eodem orationis initio verborumque colore. Sidonii quidam editores ad carm. II, 476 adnotant dictionem »in bimarem Corinthon«, quam ibi legimus, referendam esse ad Hor. c. I, 7 v. 2 »bimarisve Corinthi«, quam imitationem primo obtutu certam esse crederes. Sed cum idem Corinthi urbis epitheton etiam exhibeatur ab Ovidio, quem poetam haud ignoravit Apollinaris, hanc dictionem etiam ex illo fonte manare potuisse facile concedes. (Cf. enim v. Met. V, 407; sim. Met. VI, 419.) Paeterea huc revocemus Sid. ep. IX, 13, 5 v. 68 sqq. »bimari remittat urbe . . . Corinthus«.[1])

Diligentissime Sidonium Horatii sat. II, 1 legisse supra commemoravimus. Aliquoties poetam illum in carminibus exempli sui auctoritatem spectavisse potest observari, etiamsi argumenta, quae hic reperiuntur, non universa ad persuadendum sint accommodata. Quibus de causis res summatim expositurus sum. Horatius igitur (sat. II, 1 v. 13 sqq.) dicit ad »doctum« Trebatium haec:

. . . neque enim quivis horrentia pilis
agmina nec facta pereuntes cuspide Gallos
aut labentis equo describit vulnera Parthi.

Quos versus usurpavit Sidonius in carmine illo, quo emolumenta pacis ac belli victorias Anthemio regnante partas concelebrat, c. II, v. 310 sqq. . . . non est modo dicere tempus

Pythona exstinctum nec bis septena sonare
vulnera Tantalidum;

Hi versus idonei sunt, quibus studia illius imitatoris novis tamquam radiis illustrentur. Loci enim utriusque auctoris ita inter sese comparati sunt, ut et totum Horatii dicendi genus ab Apollinare expressum videamus et singulas locutiones. Quid enim? Nonne apte componetur enuntiatum »Pythona exstinctum« cum »Gallos pereuntes« et comprehensio »sonare vulnera Tantalidum« cum »describit vulnera Parthi«? Adde, quod et Flaccus et Sollius illas res describere non vult!

Jam transeamus ad Hor. carm. librum quartum, ubi carmen quartum Drusi Neronis hymnus est, cuius Sidonius compluries excitat memoriam. Legitur enim apud Horatium c. IV, 4 17 sqq.

videre Raeti bella sub Alpibus | Drusum gerentem Vindelici,
quibus | mos unde deductus per omne | tempus . .

Quos versus non propter rerum similitudinem sed propter locutionum quandam conspirationem comparandos esse censeo cum Sid. c. V, 373 sqq. »conscenderat Alpes

[1]) Vox autem illa nec Horatii est nec Nasonis, sed Graecorum. cf. exemplorum collectionem, quam congessit E. Thallwitz, de Horatio Graecorum imitatore, spec. prius Doebelni 1874. p. 21.

Raetorumque[1]) iugo per longa silentia ductus
Romano exierat e. q. s.

Quisquis scite observaverit, quibus rationibus Sidonius Horatium imitetur ac potius quemadmodum memoria quadam Horatiana in carminibus pangendis temperetur,[2]) is credo Sidonium hoc quoque loco ex Horatii fonte perenni hausisse nullo negotio adsentietur. Undique enim aemulus ille confert desiecta membra carminis illius Horatiani. Ut nihil dicam de verbis utrique loco communibus (Raetorum nomen Sidonius alibi nusquam profert), singulares verborum coniunctiones

Hor. v. 19 per omne tempus deductus
Sid. v. 374 per longa silentia ductus

inter se conspirare mihi videntur. Sed exstiterit fortasse quispiam, qui illorum locorum comparationem vocet opinionis commentum: illius autem sententia maxime eo infirmatur, quod Sidonius loco vicino vicina Horatiani illius carminis verba in usum suum convertit. Dicit enim Apollinaris l. l. v. 377:

in praedam centum novies dimiserat hostes.

Horatius v. 9 sqq. de aquila:

in ovilia / dimisit hostem vividus impetus
nunc in reluctantes dracones e. q. s.

Apto comparabuntur Sidoniana »in praedam dimiserat hostes« cum Horatianis »in ovilia (i. e. praedam aquilae) dimisit hostem«. Sidonius enim saepenumero Flacci vestigia persequitur frustulis Horatianis sermoni intextis. Hoc igitur loco intelligere possumus, quod hac in quaestione iterum saepiusque animadvertemus, singularem aemulationum probabilitatem non modo simili duorum locorum argumento confirmari, verum etiam unumquemque locum ab imitatore expressum finitimis imitationibus e confinibus exempli imitando compilati versibus depromptis prorsus fulciri atque stabiliri. Quam ob rem Apollinarem etiam versus antecedentes (dico c. V, 373) non sine memoria Horatiana composuisse liquet.

Jam alia exempla, quae huc pertinent, proferemus. Horatius igitur v. 57 sqq. huius carminis gentem Romanam ab Hannibale prope ad internecionem redactam aetate posteriore fortius atque gloriosius e clade evasisse exponit hisce verbis (v. 59 sp.):

per damna, per caedes ab ipso | ducit opes animumque ferro

deinde v. 65 sqq. merses profundo, pulchrior evenet;[3]) luctere:

multa proruet integrum | cum laude victorem . . .

Apollinaris geminam proponit sententiam in c. VII, v. 5 sqq.

---

[1]) Hcc Sidonii loco nescio an commendetur archetypi Horatiani scriptura Raeti (Heinsii et Bentlei coniecturam ‚Raetis‘ multi edd. probaverunt). Familiaris autem est Horatio nominum propriorum disiunctio cf. c. IV, 1. 9 sqq. Pauli—Maximi.

[2]) Praecipue in Sidonii imitationem Horatianam quadrant, quae Zingerleus exponit de Claudio Claudiano „Zu spät. l. D.“ pag. 9.

[3]) Hanc lectionem propono pro codd. scriptura „evenit“; cf quae sequuntur: proquet — geretque; mutatio est levissima, quia in libris quibusdam manuscriptis litterae e et i vix possunt distingui.

Quae sicut mersa nitescunt,
adversis sic Roma micat, cui fixus ab ortu
ordo fuit crevisse malis.

Si ad singulas sententias mentem advertimus non potest nos praeterire consensus, qui inter utrumque poetam intercedit. Attamen in dubio relinquitur, num illius translationis usum ex Horatio hauserit Sidonius, cum alii quoque poetae, quos respicere potuit scriptor ille, similes imagines exhibeant. Savaro hunc Sidonii locum composuit cum Rutilio (I, 140); locos similes proferunt R. Unger, emend. Horat. p. 84 (Rutil. I, 121 sqq.), O. Keller, epileg. zu Hor. II, 313 (Rutil. I, 128 sq. et Claudian. de cons. Stil. III, 144 sq.), A. W. Zumpt in ed. comm. p. 75 (Rutil. I, 121 sqq.). Equidem addam Sen. Herc. I, 33 »superat et crescit malis«. Geislerus (de Ap. Sid. studiis p. 17.) primus Apollinaris locum adiunxit Horatiano et in hac est sententia, ut contendat Sidonium Horatii memorem Rutili exemplum esse secutum. Equidem non video, cur Rutilii potissimum vestigia Sidonius presserit: Primum Rutilii verba[1]) non tam arto vinculo cum Sidonianis coniuncta sunt, ut manifesta sit imitatio; deinde Rutilium nullo loco nominat aut imitatur Sidonius. Equidem censeo rem illam non ad vivum esse resecandam. Minime enim lecta est vox »crescere malis«, ut supra demonstravimus, quae fortasse in poetarum usum cotidianum abierat. At enuntiatum »sicut mersa nitescunt« Sidonius certe debet Horatio (v. 65) atque comprehensioni Sidonianae »adversis sic Roma micat« Geislerus rectissime Claudiani verba »maior in adversis micuit« (de cons. Stil. I, 286) subiunxit.

Sed aberrantes paulisper prolaturi sumus versum similem: Sid. V, 64:
surgere fata malis et c e l s i o r e s s e r u i n a,

quem quamvis mirifice consentiat cum Sid. c. VII, 7, tamen propter vocabulorum coniunctionem referre malo ad Hor. c. III, 5, v. 39 sq.

o magna Carthago, probrosis
a l t i o r Italiae r u i n i s!

Initium loci Horatiani »per damna, per caedes . . . ducit opes« Sidonius observasse videtur in scribendo c. V versu 240 »per damna nitet«; sim. c. VII, 540 per damna sequi. —

Versus autem Horatianos supra allatos prope attingunt hi (v. 14 sqq.)

fulvae m a t r i s a b u b e r e
iam lacte d e p u l s u m leonem . . . v i d i t (caprae);

quos versus ac deinde Hor. c. IV, 2, 54 sq. vitulus, relicta | matre, qui largis . . et Hor. c. IV, 6, 18 sqq. »nescios fari pueros . . etiam latentem matris in alvo«.

Sidonius ante oculos habuisse videtur in c. II v. 36 sq.

et m a t r i s a b a l v o | artus infantum molles . .
et v. 38 sq. sed a b u b e r e t r a c t u s | (plus potat per vulnus
equum); sic l a c t e relicto b i b i t.

Ex illorum locorum collatione sponte intellegi posse arbitror, tota illa descriptione non modo nonnulla imitationis Horatianae vestigia contineri, verum omnino hos Sidonii versus Venusinam dicendi speciem tamquam redolere eiusque poetae coloribus distinctos esse atque exornatos.

[1]) de red. I, 140 ordo renascendi est crescere posse malis.

Deniquc hic commemorandus est locus, qui legentibus se offert in Sidonii carmine quinto (v. 485 sq.):

obsequium gens una negat, quae nuper ab Histro
rettulit indomitum . . . agmen.

Illius pronuntiationis constructio ad amussim fere respondet Horatianae (c. IV, 4, 53 sqq.)

gens, quae cremato fortis ab Ilio
(iactata Tuscis aequoribus sacra)
v. 56 pertulit Ausonias ad urbes.

Jam vero ad aliud Horatii carmen, prioris quasi continuationem, progrediamur, dico c. IV, 14, quo poeta Venusinus »maiorem Neronem« (ib. v. 14) honore prosequitur. Flaccus ibi imperatorem victorem ita alloquitur v. 41 sqq.

Te Cantaber non ante domabilis
Medusque et Indus, te profugus Scythes | miratur;

v. 45 sqq. te fontium qui celat origines
Nilusque et Hister, te rapidus Tigris . . .
te caede gaudentes Sygambri
compositis venerantur armis.

Quibus cum versibus haud pigebit componere versus Sidonii c. VII, 42 sqq.

. . . fracte Sygambris,
Rhene tumens, Scythiaeque vagis equitate catervis
Hister et ignotum plus notus, Nile, per ortum.

Tametsi argumenta utriusque explicationis sententiis vix cohaerent, nihilosetius Sidonium pro sua excerpendi arte verborumque variandorum studio hos versus ad Flacci exemplum composuisse mihi persuasum est; etenim undique vocabula decerpsit Horatiana; sed ut in res singulas inquiram, nullo alio Horati aut Sidonii loco Histri et Nili nomina coniuncta leguntur. Porro, ut de Sygambris ac Scythis taceam, qui utroque loco nominantur, manifestum momentum ad huius aemulationis Sidonianae veritatem id adfert, quod Apollinaris Nilo flumini eandem tribuit notationem atque Flaccus, qua in re similitudinum cardo vertitur. Sed cum Horatius dictum illud »fontium qui celat origines« illustrandi causa haud sine poetico quodam ardore adhibeat, Sidonius magnificentia illectus vocem illam Horatianam infeliciter sane adfectavit, qui verbis »ignotum plus notus per ortum« exempli sui colorem dicendi adsequi conatus in tenue dicendi genus ac prope in orationem delabitur solutam. — Quam imitationem alii loci Sidoniani, qui ad vicinos huius Horatiani carminis versus spectant, comitantur eiusque fidem stabiliunt.[1])

Omnes igitur gentes, quarum supra mentio facta est, Caesaris dicioni obnoxias esse ait Horatius, qua cum sententia aliquatenus congruit Sid. c. V v. 478 sq.

(gentes complures) »post aquilas venere tuas; tibi militat omnis
Caucasus et Scythicae potor Tanaiticus undae«.

Verborum autem species minus apte cum Horatio componetur; consentiunt quodammodo enuntiata »tibi militat Caucasus« cet. et »te venerantur Sy-

[1]) Repetitionen eandem, qua utitur Horatius (te-te . .) legimus apud Sidonium in persimil sententiarum nexu carm. V, 594 sq.

gambri«. (Hor. v. 51 sq.). Maior autem similitudo intercedit inter hos versus et Horatii c. IV, 15, 21 sqq.

»non qui profundum Danuvium bibunt | edicta rumpent Julia, non Getae
. . . non Tanain prope flumen orti«

Si ad voces ipsas animum attendemus, non improbabile erit Sidonii dictum »et Scythicae potor Tanaiticus undae« referre ad auctoritatem Horatii, qui exhibet haec »qui Danuvium bibunt« et »Tanain prope flumen orti.« Cf. etiam Hor. c. II, 20, 20 »Hiber Rhodanique potor«. Dein ultimus carm. Hor. laudati versus »compositis venerantur armis« Sidonii menti infixus esse videtur, qui bis in c. V. simili utitur locutione: v. 489 »vix positis armis«, v. 602 »positisque pharetris.« — Idem Horatii carmen Sidonio bene notum fuisse alio quoque loco probatur, qui est Sid. c. VII, v. 372 sq.

Francus Germanum primum Belgamque secundum
sternebat, Rhenumque . . .

Quibus verbis bene subici posse opinor ea, quae Flaccus scribit in carminis, de quo sermonem habemus v. 31 sq.

(Claudius) primosque et extremos metendo | stravit humum.

Denique huius carminis Horatiani v. 29. sqq. et 33 sq. Apollinarem in c. II., 284 sqq. variavisse latiusque extendisse veri simile videtur. — Sed iam ad Horati c. IV, 5 transgredi iuvabit,[1]) ubi poeta ille Caesaris legibus omne nefas exstinctum populumque denuo corroboratum esse exponit pergitque v. 25 sqq.

Quis Parthum paveat, quis gelidum Scythen
quis Germania quos horrida parturit
fetus, incolumi Caesare? Quis ferae
bellum curet Hiberiae?

Haud dubitanter Sidonius Flacci vestigiis ingressus composuit haec c. V, v. 470 sqq.

. . . quod nullus tempore nostro
Augustus potuit: rigidum septemplicis Histri
agmen in arma rapis; nam quicquid languidus axis
cardine Sithonio sub Parrhase parturit Ursa,
hoc totum tua signa pavet.

Quos versus Horatianos Apollinaris menti hic obversatos esse boni animi credas. Nam utrumque locum comparantem, quem fugere potest congruentia illa, quae intercedit inter rationes, quibus uterque scriptor eandem fere sententiam geminis expressit verbis? Nonne Sidonii dicendi ratio »quidquid languidus axis parturit« . . . optime respondet huic Horatianae »quos Germania horrida parturit«? Atque Sidonii enuntiatum »hoc totum tua signa pavet« quidnam aliud significat quam Horatii vox elegantior magisque poetica »quis Parthum paveat, quis gelidum Scythen« e. q. s.?

[1]) Quartum enim carm. Hor. librum summis in deliciis Sidonium ideo habuisse suspicor, quoniam in illo libro Horatius eximiam orationis elationem ac paene magniloquentiam adfectat. Immo poeta Venusinus nonnullis huius libri locis oratione altius exaggerata utitur, id quod Apollinari, qua ardebat magnifice loquendi cupiditate (cf. Teuffel-Schwabe, litt. histor.[5] p. 1195) certe cupedia, ut ita dicam, fuisse intellegetur.

His Sidonii verbis contra Luc. Muellerum, qui Horatii carm. V. versus 25—28 »utique obelo notandos« esse coniecit (ed. alt. p. 43 sq.), argumento sat firmo usus defendam idque eo gravius, quo illustrior reperietur Sidoniana huius loci imitatio.

Praeterea Flacci versum quendam commemorare liceat, quo quamvis Sidonius non dictionem ipsam ab Horatlo mutuatus sit, tamen ad illius poetae imitationis genus saltem aliquid adferetur. Dicit enim Horatius in c. 5 v. 19, ubi piratica exstincta et pace restituta nova tempora explicat:

»pacatum volitant per mare navitae«,

cuius loci Sidonius recordatus esse potuit in c. XXIII, v. 258 sqq.

confestim posito furore Martis
post piratica damna destinaret
plenas mercibus institor carinas
et per te bene pace restituta . .

Cf. etiam Hor. c. III, 7, 3; I, 31, 12; III 29, 60.

Porro imago illa patriae dolore adfectae, quae reperitur apud Sidonium (epist. III, 12, 5 v. 8) »maerentis patriae sinu receptus« — simil. Sid. ep. II, 8, 3 v. 3 flentis patriae manus locarunt« — ex eodem Horatii carmine fluxisse potuit, quoniam haec imago, quod equidem sciam, ab altero poeta Romano non est usurpata. Conferas velim potissimum Hor. c. IV, 5, 15 sq. »desideriis icta — quaerit patria Caesarem«.

Jam vero perlustremus imitationis Sidonianae argumenta, quae ad Horatii carm. IV, 2 spectant. Tacemus autem de illo exemplo, cuius in priore huius quaestionis parte (pag, VIII sq.) rationem habuimus, rati argumentationi nostrae haec suffectura esse documenta, quae subsequuntur.

Carmine igitur in illo Horatium de Pindari grandiloqua dictione atque sua ipsius scribendi imbecillitate mentionem facere haud ignoramus; similem in sententiam conditum est Hor. c. I, 6, ad quorum carminum exempla Sollius conformavisse videtur epist. IX, 15, 1 carm. intext. vers. 15 sqq.

Atque primum Hor. c. IV, 2, 23 sqq. dicit:

(Pindarus) mores . . . educit in astra nigroque | invidet Orco
multa Dircaeum levat aura cycnum
tendit, Antoni, quotiens in altos tractus.

Quem ad locum adlusisse opinor Sidonium in v. 25 sqq.

quotiensque verba Graia carminaverit
tenuisse celsa iunctus astra Pindaro;

Cf. v. 31 sqq.

Sidonius hoc loco Horatium non aperte imitari sed Horatiana quadam reminiscentia, ut Tertullianeo hoc vocabulo utar, temperari videtur, qui mirifica ratione verba quaedam illius loci Horatiani in usum suum convertit.

De ingenii sui languore verba facit Horatius in c. IV, 2, v. 27 sqq. (ego apis Matinae . . .), simil. Sid. c. l. v. 50 sqq. (ego corde et ore . .) Ad Hor. c. I, 6 videntur ea pertinere, quae conscripsit Sid. c. l. v. 15 sqq »Quae temperare vix valet gregarius | poeta, ut ipse cernis esse Sollium e. q. s.« Horatius enim dicit c. I, 6, 5 sqq. Nos, Agrippa, nec haec dicere . . . . conamur, tenues grandia, e. q. s. — Toto sane in illo Sidonii carmine locos invenimus, quibus sententiae exstant Horatianae, tamen de imitatione vix

est cogitandum, quia verba ipsa plane alia sunt sententiaeque illae ad locos communes poetarum Latinorum pertinent; similia enim legimus apud Propertium, panegyrici Messallae auctorem, culicis poetam; sed quia Sidonius, quantum videmus, poetas illos non respexit, ea quae supra verbis attuli, non sine momento esse censeo.

Consimiles, duorum diversorum poematum Horatii allusiones, ut ita dicam, Sidonianae conspiciuntur in Sid. carm. V, 574 sqq., quarum altera ad Flacci c. I, 2, altera ad c. IV, 2, de quo disserimus, revocanda est. Sidonius igitur hoc loco Maiorianum Augustum, adversarium victorem Aviti, tum Lugduni commorantem hisce compellat verbis:

> et quia lassatis nimium spes unica rebus
> venisti, nostris, petimus, succurre ruinis
> Lugdunumque tuam, dum praeteris, adspice victor.

Priorum verborum origo ducta est ab Hor. c. I, 2, quod poema Horatius in imperatoris honorem composuit; cf. v. 25 sq.

> Quem vocet divum populus ruentis | imperi rebus?

ib. v. 29 sq.

> Cui dabit partes scelus expiandi
> Juppiter? Tandem venias, precamur . . .

Artiore sane vinculo hi loci conexi sunt cum Sidonianis illis versibus, quos proposuimus; imprimis vero hic voces singulae ab utroque poeta exhibitae illorum locorum cognationem splendidam in lucem proferunt. Conspirant enim inter se vocabula haec: rebus, venisti (venias), ruinis (ruentis), petimus (precamur). Vox illa »petimus« apud Horatium hoc loco interpositionis, quae vocatur, figuram efficit, quam Apollinaris vocabulo tantum commutato imitatur.[1]) Eundem Flacci locum imitator ille alio loco (Sid. IX, 321) spectavit, ubi reliqua Horatii verba usurpavit dicens

> nam quisnam deus hoc dabit reiectae . . .[2])

quibus verbis imitationis, quam supra protulimus, fides certe constabilitur.

Neque vero minus aperte Sidonio partem posteriorem, dico v. 576, scribenti hic locus obversatus est, ubi Horatius appellat Antonium:

> tuque,[3]) dum procedis, »io triumphe«
> non semel dicemus . . .

Sidonius autem dicit: »dum praeteris, aspice victor« Profecto hi loci inter se collati satis imitationem Sidonianam coarguunt.

Paulo infra Sidonius v. 592 sqq. se carmen quantumvis tenue conditurum esse dicit, ut imperatoris laudes illustret:

---

[1]) Saepius eadem ratione Horatius quoque precandi verbum interponit; cf. c. I, 3, 7; 31, 18; epod. III, 20; carm. IV, 1, 2.

[2]) Quae componas velim cum his: Quem vocet divum populus ruentis . . . cui dabit Juppiter?

[3]) Ita scribendum esse recte docuit peritissimus carminum Horatianorum interpres O. Keller in epil. ad Hor. p. 201—303. Codd. exhibent omnes „teque". Originem perversae illius scripturae profectam esse duco a librarii aberratione oculorum; cf. enim vers. 53 huius carminis initium Loco hoc Sidoniano coniectura „tuque, dum procedis" fulciri videtur; certe autem reiciuntur hoc loco ea, quae Bentleius (Isque, dum procedit) et Meinekius Luc. Muellero probante (Atque, dum procedit) coniecerunt.

»ipse per obstantes populos raucosque fragores
praecedam et tenui, sicut nunc, carmine dicam
te geminas Alpes, Syrtes te — te Libycas — domuisse catervas.

Conspirare hi quidem versus mihi videntur cum compluribus poetae Venusini locis; dum non tam voces singulas, quam totam sententiam curiosius intueor, versus Horatiani prioribus vicini (c. IV, 2, 45 sqq.) mihi in mentem recurrunt, ubi Horatius pari modo sese — si carmen idoneum processerit — Caesarem laudibus elaturum esse ita pronuntiat:

tum meae, si quid loquar audiendum
vocis accedet bona pars et »o sol
pulcher, o laudande« canam recepto
Caesare felix.

Praeter omnia Sid. versus 593 comparandus est cum Horati v. 45 sq. Cum Apollinaris modestia, quae inest verbis »tenui, sicut nunc, carmine dicam« conferantur ea, quae supra adnotavimus ad Sid. ep. IX, 15, 1 v. 15 sqq. Ceterum eo loco, de quo sermo est, Flaccus haud minus verecundis utitur verbis »si quid loquar audiendum — canam«. Cum ipsa Apollinaris voce »tenui, sicut nunc . . .« comparari possunt Hor. art. p. 202 sq. »tibia non, ut nunc, — sed tenuis simplexque« et Hor. c. I, 6, 9; 16, II, 38. — Porro enuntiatum sollemne est Horatio, quod praebet Sidonius v. 492 »per obstantes populos (praecedam)«, quae locutio certe referenda est ad Horatii exemplum cf. c. III, 5, 51 sq. »dimovit obstantes iuvenum catervas«;[1]) c. IV, 9, 43. — Denique repetitionis usus ille, qui conspicitur v. 594 sq. (te geminas Alpes, Syrtes te, te . . .) revocandus esse videtur ad Hor. c. IV, 14, 41 sq, de quo loco supra fecimus mentionem. Quanta sane Apollinaris studiorum diligentia Horatianorum!

Denique contulisse iuvabit Sid. c. VII, 502 sq.

vel quidquid ab aevo, | nil te mundus habet melius, nil ipsa senatu«.[2])

cum eiusdem carm. Hor. v. 37 sqq., ubi legimus:

quo nihil maius meliusve terris
fata donavere bonique divi | nec dabunt . .

Minus convenienter Geislerus in diss. pag. 17 ea Solli verba componit cum Hor. carm. saec. 11 sq.

possis nihil urbe Roma | visere maius;

quamquam verba eius loci, quem ipse attuli, melius quadrant ad Sidonii dictionem (Hor. »quo nihil melius terris« Sid. »nil te mundus habet melius«), tamen Geisleri opinionem non utique refutaverim propterea, quod Sidonium plerumque variorum Flacci locorum memoria excitari novimus. Accedit, quod uterque poeta illis verbis urbis Romae caritatem declarat, et quod Sidonius identidem carmen saeculare strictim tangit. Nam praeter hunc locum huc advocaverim Hor. c. saec. v. 47 sq. »Romulae genti date rem prolemque | et decus omne«. Quos versus Apollinarem ante oculos

[1]) cf. etiam Sid. ep. IX, 9, 12 : iuvenis inter hostiles conspicatus catervas, — nil per obstantes repulsus.'

[2]) Sane totus hic locus Horatianus est, cuius formam componere liceat cum Hor. ep. II 1, 17. Ad extremum cf. Hor. c. I, 12, 17 (unde nil maius generatur ipso).

habuisse contendam scribentem c. II, 205 »reduci datur omnis honos et«.

Eundem, quem tractamus Horatii locum — ac praecipue verba, »date rem prolemque« — aliosque carminis saecularis versus, qui sunt 17 sqq.

. . . producas subolem patrumque
prosperes decreta super iugandis
feminis prolisque novae feraci

Apollinaris in usum suum transtulit in carm. XXIII, v. 88 sqq.

Quid quod Caesaribus ferax creandis,
felix prole virum, simul dedisti | natos . . .

Gravissimum imitationis momentum collocatum est in dictionibus ab utroque auctore communiter exhibitis; quam locorum illorum congruentiam potissimum ex hac vocabulorum collatione perspicere possumus: ferax — feraci, creandis — iugandis, felix prole — feraci prolis; sim. dedisti natos — date prolem.

Sed ad reliqua pergamus. Dicit Horatius in carm saec. v. 53 sqq.

iam mari terraque manus potentes
Medus Albanasque timet secures,
iam Scythae responsa
petunt, superbi nuper et Indi.

Ad illustrandam Apollinaris imitationem Horatianam componam Flacci verba »iam — manus potentes Medus timet« cum Sid. c. V, 481 »has tremuit iam Roma manus«; cf. Sid. 487 »populoque superbo« cum Hor. v. 55 sq. — Sed etiam reliqua illius loci verba Sidonii mentem adeo ceperunt, ut altero loco illorum exsisteret imitator: Sid. ep. VIII, 9, 5 carminis intexti v. 20 »dum responsa petit subactus orbis«.

Denique hunc in ordinem redigendus esse videtur Apollinaris locus (carm. VII, v. 268 sq.)

adsistunt socio Virtusque Dolorque | et Pudor;

qui propter »virtutem« ac »pudorem«, qui hic divina specie induti leguntur, fortasse fluxit ex Hor. c. saec. v. 57 sqq.

. . et Honor Pudorque | priscus et neglecta redire Virtus
audet apparetque. Cf. etiam Hor. c. I, 24, 6 sq; 35, 21 sq. —

Nihilosecius rem illam, de qua nescio quis possit dubitare, in ambiguo relinquere malo.

Sidonium in nullo Flacci carmine tanto studio versatum esse, quanto in epistula ad Pisones missa, supra obiter perstrinximus (pag. 9 sq.) Hic uberius in locos singulos sumus inquisituri. Ab illustrissimo igitur imitationis Sidonianae argumento exordiamur, quod investiganti occurit: c. IX, v. 235 sqq., ubi poeta ille de Graecorum poetis tragicis inicit mentionem:

pictum faecibus Aeschylon secutus | aut plaustris solitum sonare Thespin,
qui post pulpita trita sub cothurno | ducebant olidae marem capellae.

Hi versus luculentissime consentiunt cum Horatianis, qui exstant in arte poetica (276 sq, 279 sq.), quo loco poeta Venusinus quomodo Graecorum ludi scaenici aetate progrediente creverint atque floruerint, paucis adumbrat. Ignotum enim, inquit, genus tragicae Camenae invenisse

dicitur et plaustris vexisse poemata Thespis,
quae canerent agerentque peruncti faecibus ora . . .
Aeschylus et modicis instravit pulpita tignis
et docuit magnumque loqui nitique cothurno.

Vix alterum adferri potest argumentum, quo eadem cum perspicuitate atque evidentia proprietates imitationum Sidonianarum sciscitantium oculis proponi possint. Undique enim poeta Horatii voces congerit, dictiones singulas variat, amplificat vel enuntiata Horatiana aliter inter se coniuncta reddit. Nonne enim hoc loco tota fere vocabula, totae locutiones, quae quidem singulares sint, indubitato consensu inter se congruunt? Vatium nomina »Thespis[1]) et Aeschylus« utrique descriptioni communia sunt. Praeterea voces, quales sunt: plaustris, faecibus, pulpita, cothurno, neutiquam tritae voces, et a Venusino et ab Lugdunensi poeta usurpatae sunt eaedemque iisdem, qui vocantur, casibus![2]) Dein componantur locutiones singulae inter sese: Sidonii illud »pictum faecibus« cum Horatiano »peruncti faecibus ora« et »plaustris vexisse poemata Thespis«.[3]) Sidonium in exprimendo hoc Horatii loco exempli sui venustatem non consecutum esse sponte apparet.

Iam continuemus viam initam. In eodem Apollinaris carmine historia fabulari eruditionisque studio artificiose inflato legimus v. 65 sqq.

Non vectos Minyas loquente silva
dicam Phlasiaco stetisse portu, | cum . .
molliret rabidos virago tauros.«

Quae verba petita esse puto ex art. poet. 392 sq., ubi ipse Horatius repetit a temporibus heroicis:

. . . deterruit Orpheus | dictus ob hoc lenire tigres rabidosque leones e. q. s.

Ne nimius sim, versus reliquos neglego proferre itemque c. I, 12, 7 sqq.[4]) et c. III, 11, 13 sq., quibus locis adhibitis tota illa imitatio Horatii tamquam completur. Loco autem allato comprehensio »molliret rabidos tauros« luculenter prodit imitatorem Horatii, qui »lenire rabidos leones« scripsit. Opinionis meae fides eo augetur, quod Horatius nusquam alibi vocabulum singulare »rabidus« exhibet: quae vox quasi umbilicus huius imitationis est putanda.

Iam vero locum quendam quam brevissime perstrinxisse satis habebo, qui neque nos neque Sidonii interpretum sedulitatem praeteriit, dico Sid. c. XXIII, v. 235 sqq.

et te seu Latialiter sonantem . . .
seu linguae Argolicae rotunditate

Nequaquam dubitandum, quin Arvernus ille hos versus fuderit intuitus praeclara haec Horatiana (art. p. v. 323 sq.):

---

[1]) Thespidis nomen apud utrumque poetam laudatis tantum locis reperimus; Aeschyli nomen apud Apollinarem hic tantum, apud Flaccum semel etiam (Ep. II, 1, 163) legenti occurrit, quam rem memoratu dignam esse mihi persuasi.

[2]) Haec res satis mira pro Sidonii aemulandi ratione vix casui cuidam erit imputanda.

[3]) Horatium hoc loco magno errore teneri monuerunt Krueger in comment. edit. (cf. adnot. hunc ad locum) et Guielm. Christ, litt. Graec. hist.[3] p. 208. Quare Sidonium exempli sui errorem animo imbibisse intellegimus — sed non miramur.

[4]) Idem hoc carmen Apollinarem semel iterumque significare infra ostendere studebimus.

Grais ingenium, Grais dedit ore rotundo[1]) | Musa loqui.

Noli neglegere, qua sollertia poeta permutatis Flacci verbis eandem exprimat sententiam. (Cum Sidonii versu 235 conferas quaeso Hor. c. II, 13, 26 »et te sonantem plenius« . . .).

Sed alium in promptu habeo locum, quem cum non minus dilucide consentiat cum Horatii exemplo, commentatores fugisse miror. Dicit Sidonius in carm. I v. 13 sq

»tunc Faunis Dryades . . . aptae
fuderunt lepidum, rustica turba, melos«.

Quae verba profecta sunt ab Horatii art. p. v. 272 sq

. . . si modo ego et vos
scimus inurbanum lepido seponere dicto.

Cuius imitationis probabilitas eo fulcitur, quod uterque poeta eandem adhibet antithesin, quae efficitur dictis »lepidus« et »inurbanus« (vel quod idem valet »rusticus«). Porro huic opinioni id favet, quod vocabulo »lepidus« solo hoc loco et Sidonius utitur[2]) et poeta Venusinus. (Similes quoque inter se sunt locutiones »Faunis Dryades aptae« et »iunctaeque Nymphis Gratiae« Hor. c. I, 4, 6).

Denique Horatius de versu iambico disserturus ita incipit art. p. v. 251 sq.

»syllaba longa brevi subiecta vocatur iambus | pes citus«,

qua cum comprehensione supra Sid. ep. VIII, 11, 7 contulimus. Quem ad locum applicaverim Sid ep. IX, 15, 1, v. 13 sq., qui locus priorem quodammodo supplere videtur. Sed cum verba utriusque loci comparati satis trita sint, concedo non esse, quod utique alterum alterius voces arripuisse censeamus.

De enuntiatis singulis, quae Apollinaris Horatii arti poeticae videtur debere, postea fiet mentio. In universum autem dici licet Sidonium epistulam ad Pisones missam subtiliter pervolvisse atque perlegisse, quem poetam in praestantissima Musae Horatianae opera diligentissima studia consumpsisse video. —

In venustissimis Flacci poematis merito numeratur carmen illud, quo poeta urbes gratissimas speciosis prosequitur laudibus, dico c. II, 6.

Gloriatur Sidonius illius carminis dictionem adfectans multis urbium nominibus prolatis in ep. VII, 17, 2 v. 15 sqq. Integros autem proponam versus 19 sqq.

rura paludicolae temnis populosa Ravennae
et quae lanigero de sue nomen habent.
angulus iste placet paupertinusque recessus . . .
(v. 25) finiti cursus istic vitaeque viaeque.

[1]) ‚rotundus‘ est Graecorum στρόγγυλος; cuius vocis sat speciosae memoria numquam e Sidonii animo discessisse videtur ; e multis locis satis habeo adnotavisse ep. I, 11; ep. IX, 15. 1 v. 39 sq. sub rotundioribus-Camenis).

[2]) Saepissime Sidonium singulares elegantesque Horatii voces in poesin suam convertisse potest observari.

Sidonii menti hic locum obversatum esse existimo, qui exstat l. l. v. 6 sqq.

(Tibur) sit meae sedes utinam senectae
sit modus lasso maris et viarum | militiaeque . . .

(v. 10) dulce pellitis ovibus Galaesi
flumen et regnata petam — rura.

(v. 13) ille terrarum mihi p.aeter omnes
angulus ridet, ubi non Hymetto | mella decedunt.

Iam vero similitudines utriusque descriptionis in examen vocemus. Primum igitur componam Horatii verba »sit modus lasso maris et viarum militiaeque« cum Sidonii versu 25 »finiti cursus istic vitaeque viaeque«, qui loci sententiarum nexu vocumque quadam congruentia inter se coniuncti sunt. Cf. »vitaeque viaeque« cum »viarum militiaeque«, »finiti cursus istic« cum »sit modus (Tibur).« Hoc loco autem haec quaestio arti criticae succurat. Comprobaverunt enim permulti editores supervacaneam Peerlkampii coniecturam »sit domus« (codd. omnes »modus«). Sed perbene teneri potest scriptura tradita, si illa idem significari intellexeris ac voce »finis«, quam interpretationem iam Porphyrio et Acro proposuerunt; ceterum de hac illius vocis significatione cf. Hor. c I, 16, 2; 24, 1; sat. I, 2, 111; II, 3, 266 atque imprimis sat. I, 1, 106 »est m o d u s — sunt f i n e s« Atque ipsum Sidonii enuntiatum non nihil ad rem nostram facere videtur. Poeta enim ille vim vocabuli Horatiani »modus« recte percepit ac pro levi suo imitandi more significavit verbis »f i n i t i cursus«.

Porro Flacci cantilenam »i l l e terrarum mihi praeter omnes a n g u l u s r i d e t« nemo manifestius expressit, quam Sidonius v. 21 »a n g u l u s i s t e p l a c e t paupertinusque recessus«. Hic quoque aemulus ille speciosam vocem »angulus« a Flacco mutuatus est, quam eodem sensu adhibitam tantum invenimus apud Prop. eleg. IV, 9 65 et Vell. Pat. II, 102, quos scriptores — quantum adhuc cognitum habemus — numquam respexit Apollinaris. Dictionem autem Sidonianam, quae hanc praecedit, »rura — Ravenae et quae lanigero de sue nomen habent« fortasse non sine memoria Horatii (v. 10 sqq.) »dulce p e l l i t i s ovibus Galaesi flumen et — rura« compositam esse opinor.

Iam vero allaturus sum Horatii versus sqq. (c. l. 14):

»ubi non Hymetto
m e l l a decedunt viridique certat
b a c a Venafro«
»v e r u b i l o n g u m — p r a e b e t«

et v. 19 sq.

»fertili Baccho minimum Falernis
i n v i d e t u v i s«

Quam descriptionem Horatianam Sollius ante oculos habuit eaque suscitatus est in fundendis versibus, quos legimus in c. II, 105 sqq.

ferunt exorto flumina m e l l e | d u l c a t i s cunctata vadis
oleique liquores | isse — b a c a pendente . . . . .

(109) . . . i n v i d i t pampinus u v i s; (v. 409) »v e r i b i c o n t i n u u m est«. Cf. etiam Sid. c. XXIV, 57 sqq. Nulla mihi est dubitatio, quin, si propius intuearis utriusque scriptoris sententias vecesque, sponte locorum a me congestorum consensus sis agniturus.

Restat, ut adferam Sidonii locum, qui dictionis Horatianae colore distinctus huc potissimum referendus esse videtur, dico ep. II, 10, 4 v. 29 sq.

namque iste est locus omnibus petendus,
omnes quo via ducit ad salutem

quia Horatius eadem ratione poema, de quo disserimus, ad finem perducit (v. 21 sq): »ille te mecum locus et beatae | postulant arces«. Ex verborum quoque collatione (ille locus — iste locus, te mecum — omnibus, postulant — est petendus) concludere possumus Sidonii versus ex certa memoria Horatiana manavisse, quam ad rem consentaneus orationis contextus accedit. Cf. etiam Hor. c. II, 3, 25 et Hor. c. IV, 8 vers. ultim. »bonos ducit ad exitus«, quae versus clausula conspirat cum Sidonii clausula »via ducit ad salutem« sim. Sid. c. 24, v. 3 »bene ducit ad sodales«.

Neque vero minus Apollinaris alterum Horatii epodum, illius carminum generis sane reginam, magnis habuit in deliciis. Namque ut nihil dicam de Sid. c. V. v. 29 sq.

liquenti quae iuncta toro vult murmura lymphis
tollere et undosi somnum servare mariti,

quos versus Arvernus ille nescio an non sine eius loci Horatiani memoria composuerit, quo poeta Venusinus de fontium murmure somnum facilem suadente meminit (epod. II, 27 sq.)

fontesque lymphis obstrepunt manantibus
somnos quod invitet leves,

luculentissime Sidonium illius epodi aemulum se praestitisse adfirmari licet in carmine ultimo, quod est propempticon ad libellum. In illo igitur carmine narrat poeta, quorum legentium in manus librum suum perventurum esse neque ibi Tonantii Ferreoli praefectorii obliviscitur v. 37 sqq.,

coniunx Papianilla quem pudico
curas participans iuvat labore,
qualis nec Tanaquil fuit nec illa . . .

Quos versus cum illa huius epodi descriptione contulerim, ubi Flaccus ruris amatorem magis beari posse infitiatur, quam si eius uxor summa industria et adsiduitate rebus domesticis sciat perfungi; cf. enim v. 37 sqq.

Quis non malarum quas amor curas habet
haec inter obliviscitur?
Quodsi pudica mulier in partem iuvet
domum atque dulces liberos | Sabina qualis aut e. q. s.

Enuntiatis sententiisque utriusque explicationis vel obiter inspectis sponte te agniturum esse haud diffido Sidonium illis versibus Horatianis manifestissime excitatum esse, ut Papianillae hanc impertiret laudem, quam turgidus ille poeta magis furtivarum illarum vocum proferendarum gratia, quam ex animo ac sententia sua conscripsisse mihi videtur. Ut vero ceteras illorum locorum similitudines, quae et inter sententiarum rationes et inter voces singulas exstant, neglegam, illud perstrinxisse satis habebo Apollinarem nec inepte nec obscure Flacci dictionem »mulier in partem iuvet« transformavisse in comprehensionem »coniunx — participans iuvat« atque enuntiatum »Sabina qualis aut . . .« sententiae suae aptavisse ideoque diffinxisse in »qualis nec

Tanaquil nec . . .«[1] Quanta sane Sidonii memoria, quanta vocum variandarum sollertia!

Cum Hor. epod. II, v. 38 »haec inter obliviscitur (sc. curarum)« haud scio an apte comparaverim Sid. ep. VIII, 9, 5 v. 55; cf. etiam Hor. sat. II, 6, 77. In eodem, quod modo laudavimus, Sidonii carmine hanc legimus verborum constructionem (ep. VIII, 9, 5 v. 40 sq.)

»et contra Scythicae plagae catervas
si quos Parrhasis Ursa fert tumultus,«

cuius orationis origo derivanda videtur ex Hor. epod. II, 49 sqq.

(non iuverint) »rhombus aut scari
si quos Eois intonata fluctibus . . .«

Sidonius enim comprehensionem illam conditionalem, quam dicunt, non modo in priore sede collocavit et ab iisdem verbis (»si quos«) instituit, verum etiam illa voce usus versus initium effecit.

Aliquoties Apollinaris etiam Hor. c. II, 20 significatione appellavit, qua cantilena epilogica Flaccus se in alitem canorum commutatum per aethera volantem fingit sibique immortalitatem vaticinatur. Cuius carminis hoc est initium:

Non usitata nec tenui ferar
penna biformis per liquidum aethera
vates, neque in terris morabor
. . . urbes relinquam.

His versibus adplicavisse iuvabit exitum carminis Sidoniani, quod est intextum epist. IX, 13, 5; cf. v. 117.

nec in hoc moratus axe
cito ad arva perget euri
zephyrisque perferetur;

adde Sid. carm. II, v. 405:

liquidam transvecta per aethram.

Sidonium haec verbis leviter variatis ex Horatii carmine mutuatum esse dilucide apparet; imprimis autem pronuntiatio »nec in hoc moratus axe« ab Horatio petita (»neque in terris morabor«) imitationem Sidonianam prodit; conferenda etiam sunt »zephyrisque perferetur« et »per aethera ferar«. Quod autem ad Sidonii elocutionem «liquidam transvecta per aethram« attinet, eam sine dubio ab Horatiano illo »ferar per liquidum aethera« profectam esse arbitramur.[2])

Ad extremum Sidonii notitiam carminis huius Horatiani prodere videtur Sid. c. V, 542 sq.

. . . turpes depone querellas:
otia frigus habent; numquid mihi membra biformis
Hylaei natura dedit?

---

[1]) Conferas praetera verborum Sidonianorum structuram (v. 39)

qualis nec Tanaquil fuit nec illa

cum Hor. c. III, 20. 15 qualis aut Nireus fuit aut aquosa; simil. etiam Sid. c. XXIV, v. 12.

[2]) Nulla dictionum Statianarum, quas congessit R. Bitschofsky, de Ap. Sid. stud. Stat. p. 74) tam expresse ad hunc locum Sidonianum quadrat, quam illa Horatiana.

Ut enim taceam de voce rara »biformis«,[1]) verba illa, quae exscripsi, haud dissentanea sunt his, quae exstant c. II, 20, 21 sq.

absint inani funere neniae
luctusque, turpes et quaerimoniae.

Hic vero dixerit fortasse quispiam Sollium etiam ea Flacci carmina, quae neutiquam in numero venustorum habenda sint, esse imitatum. Contradicenti autem illi respondeam fieri sane posse, ut nostrates offendantur oratione huius carminis, quod veterum iudicio aliter constituto gratissimum esse potuit Criticorum enim aliorum aliud est talium rerum iudicium.[2]) Sed ex ipsis Sidonii imitationibus possumus ratiocinari illum quidem poetam hoc carmine Horatiano esse delectatum.

Pergentes duos Sidonii locos si minus amplos tamen gravissimos perlustremus, qui ad Horatii carm I, 35 pertinent, ubi Flaccus Fortunam Antianam his persequitur versibus (5 sq.)

te pauper ambit sollicita prece
ruris colonus, te dominam aequoris;

adde v. 9 sq. —

Cuius loci memoriam recentem conservavit Sidonius, qui in panegyrico Anthemii Augusti (c. II, v. 18 sq.) scripsit:

te prece ruricola expetiit, et foedere iunctus
adsensu, te castra tubis, te curia plausu e. q. s.

Versus illos sermonem Horatianum tamquam spirare facile tibi persuadebis; optime enim concinunt Horatii verba »te ambit prece ruris colonus« cum Sidonianis »te prece ruricola expetiit«; porro persimili ratione uterque poeta adhibet figuram repetitionis, quae voce »te« efficitur. Quae imitatio Sidonii stabilitur altero loco, qui est c. V, 110 sqq.

Augustum sumpsit nomen, per utramque magistrum
militiam ad partes regni venturus Eoas . . .,

quibus cum versibus compositurus sum Hor. c. I, 35, 29 sqq

serves iturum Caesarem — et iuvenum recens
examen Eois timendum partibus.

Sidonii enuntiatum sat singulare lectumque »ad partes Eoas« ad illius loci Horatiani exemplar referendum esse vix quisquam negabit.

Studia certa Apollinarem etiam in illo Horatii sermone suavitatis pleno posuisse, quo Flaccus sapientem patris curam grato animo reminiscitur, argumentari mihi integrum est. Ter Sidonius sese aemulum praebet Hor. sat. I, 6, versnum 85 sqq.

. . . sibi ne vitio quis verteret, olim
si praeco parvas, aut ut fuit ipse, coactor
mercedes sequerer: neque ego essem questus; at hoc nunc
laus ille debetur et a me gratia maior.

---

[1]) Horatius ipse hac voce tantum loco supra prolato utitur; ceterum perraro hoc verbum se offert legenti (Verg. Aen. VI, 25; Ov. Met. IX, 121).

[2]) Neque desunt alia Horati carmina, quae vix concinunt cum nostratium iudicio, velut c. I, 15; II, 19; III, 25 et 27, de quibus diversissimae circumferuntur sententiae; cf. Nauck. Weissenfels ad Hor. c. II, 11 (ed.[14] p. 120); Keller, epileg. z. Hor. p. 60, 76, 102, 175, 179 al.

Hac cum narratione comparare libet Sidonii versus, qui repcriuntur in c. V, 122 sq.

sic pretio non capta fides; erat ille, quod olim
quaestor consulibus; — porro Sid. c. XVI, 75 sq.

. . . merces debebitur illi,
ille tibi; sit laus, si labi noluit, eius.

Cf. Sid. II, 8 sq.

cui laurea, Jane, | annua debetur.

Iam similitudines locorum collatorum paucis sum perstricturus. De Sid. c. V, v. 122 disseremus, ubi de rationibus metricis fiet mentio, quae inter illos poetas intercedunt; hic autem satis habebo composuisse enuntiata »olim si praeco aut, ut fuit ipse coactor« et »erat ille, quod olim, quaestor«. Multa gravior altera est imitatio, quae in verbis Sidonii »merces debebitur illi | sit laus«, quibus Arvernus ille non modo luculenter adlusit ad Horatii illud »laus illi debetur« e. q s, verum etiam ex antecedente Flacci versu vocabulum »mercedes« decerpsit.

(Tertio, quem attuli, loco Sidonius geminum verborum concentum »laurea cui debetur« proponit atque Flaccus »laus illi debetur«, quam observationem pro Sollii imitandi modo non opinionis commentum designatum iri confido).

In eadem satira, quam tractamus, Horatius haec pronuntiat de senatoribus (v. 27 sqq.)

nam ut quisque insanus nigris medium impediit crus
pellibus et latum demisit pectore clavum, | audit continuo . . ,

quibus cum versibus non pigebit comparare Sid c. V, 243 sqq.

strictius assutae vestes procera cohercent
membra virum, patet his altato tegmine poples,
latus et angustam suspendit balteus alvum[1])

Qua in descriptione Sidonium, si hic re vera Horatii auctoritatem secutus est, exemplum suum magis aemulatum quam imitatum esse puto; praecipue intuearis quaeso Sidonii enuntiatum »strictius vestes cohercent membra«, quod oriundum esse duco ab Horatii dicto »quisque — impediit crus pellibus«.

Porro non alienum esse videtur Sidonii c. XXIII versum 442

»seu delubra dei colenda nobis«

referre ad huius satirae Horatianae exemplum (v. 34 sq.)

»sibi curae — fore delubra deorum«.

Denique locorum huc revocandorum integritatis gratia — quatenus nimirum tali in quaestione integritas contingi potest — locum adferam, quem praeter me Savaro (edit.[2] p. 18) aliique viri in lucem protulerunt, dico Sid. c. II, 204

i n n u m e r a b i l i b u s   l e g i o n i b u s   i m p e r i t a b a n t

quae locutio versusque structura directa est ad Hor. sat. I, 6, v. 4

olim qui m a g n i s   l e g i o n i b u s   i m p e r i t a r e n t.

---

[1]) Cf. Sid. c. VII, 456 sq. „altatae suarm pelles (cf. Hor. l. c. v. 28), ac poplite nudo peronem pauper nodus suspendit equinum', ubi Apollinaris sui ipsius aemulus videtur.

Iam vero progredientes Apollinarem semel iterumque Horatii carmen Sallustio Crispo missum (c. II, 2) aemulando in rem suam vertisse demonstremus. Exponit igitur poeta Venusinus illum quasi regem esse regum, qui insatiabilem habendi amorem sciat opprimere v. 9. sqq.

latius regnes avidum domando
spiritum, quam si Libyam remotis
Gadibus iungas et uterque Poenus | serviat uni.

Cuius strophae manifestam Sidonium habuisse notitiam perspicimus ex versibus hisce (c. II, 453 sq, 457 sqq.):

omne, quod Euphraten Tigrimque interiacet, olim
sola tenes . . .
nec sufficit istud:
Armenias Pontumque dedi . . . forsan non creditur uni;
(v. 461) adquisita meo servit tibi Creta Metello.
cf. etiam c. V, 451 nec tantae Seston iuncturus Abydo | Xerxes . .

Difficile sane est probatu omnes, quos proposuimus, locos directo ex Horatio esse deprormptos nec profecto illud contendere mihi est in animo. At hoc mihi veri simillimum esse videtur Sidonium in componenda illa explicatione (v. 433—462) recordatione quadam huius loci Horatiani esse suscitatum. Sententia enim, quae inest in versibus Hor. 11 sq., ter repetitur a Sidonio, qui perinde ac Flaccus enuntiatis similibus »sola tenes« vel »creditur uni« (Horatius »serviat uni«) usus comprehensionem concludit. Imprimis autem Sollius eo loco Horatii vestigiis institit, ubi (c. II, 461) eum dictis »Creta adquisita -- servit tibi« adhibitis Horatiana illa »Gadibus iungas — serviat uni« spectavisse vix erit quisquam, qui neget.[1]) Comparationis causa adieci Sidonii dictum »Seston iuncturus Abydo« (Hor. »Libyam iungas Gadibus«). —

In perlustrandis poetae Lugdunensis carminibus complures mihi loci se obtulerunt, quorum fundum in Flacci epistula decima (libri prioris) ad Aristium Fuscum missa positum esse mihi persuasi. Duo potissimum loci illico inveniuntur, quorum exemplum identidem Sidonii menti obversatum esse pro certo haberi potest. Prior igitur locus est ep. I, 10 v. 26 sqq.

Non qui Sidonio contendere callidus ostro
nescit Aquinatem potantia vellera fucum,
(certius accipiet . . .)

quibus versibus tamquam supplementum addam Hor. c. II, 16, 35 sqq.:

»te bis Afro | murice tinctae | vestiunt lanae . . .«, dein Hor. c. III, 5, 27 sq. »neque amissos colores | lana refert medicata fuco« adde Hor. epod. 12, v. 21 sq. et epist. II, 2, 181 (vestes Gaetulo murice tinctas). —

Horatii hos, quos proposuimus, versus Apollinaris si non utique recordatus, tamen illorum reminiscentia quadam commotus esse videtur, cum haec composuit:

---

[1]) Ni fallor, multo aptius hic Sidonii locus in Kelleri (epil. z. Hor p. 124 sq) argumentationem quadrat, quam Senecae Thyest. v. 348 sqq. et Herc. Oet. v. 624 sqq., quos locos doctus ille vir protulit.

Sid. ep IX, 13, 5 v. 16 sqq.

recoquente quas aeno
Meliboea fucat unda . . .
bibulum colore vellus.

porro Sid. c. XIII, v. 26 sq.

»sic te Sidonio recocta fuco
multos purpura vestiat per annos.

ad haec Sid. c. XV, v. 127 sq.

palla Jovis rutilat, cuius bis coctus aeno
serica Sidonius fucabat stamine murex.

adde Sid. c. II, 481; VII, 542.

Si ad res singulas percensendas mentem advertimus, primum imitationem statuimus in eo positam, ut Sidonius Flacci enuntiatum passive expressum »bis Afro murice tinctae« in activam constructionem »bis Sidonius murex fucabat« converterit; deinde perapte comparabuntur inter se locutiones, quae sunt »vestiunt lanae« et »purpura vestiat«, »potantia vellera fucum« et »bibulum colore vellus«. Praeterea voces singulas ab utroque poeta usurpatas in conspectu ponamus: murex, vestire (et vestes), color, vellus, Sidonius, fucus (et fucare), — vocabula certe singularia, quibus dictionibus adicimus hasce: bis tinctae — bis coctus, medicata fuco — recocta fuco, Sidonio ostro — Sidonio fuco, al. Certe harum imitationum fides in controversiam adduci nequit. Sidonium igitur varios exempli Horatiani versus memoria custodivisse intellegitur, quorum singula dicta eum diversis locis significavisse videmus. —

Posterior autem locus exstat Hor. ep. I, 10 v. 15 sqq. . . gratior aura
leniat et rabiem Canis et momenta Leonis,
cum semel accepit Solem furibundus acutum

His adiungi liceat

Hor. c. III, 1, 31 sq. culpante nunc torrentia agros sidera . . .
Hor. I, 17, 17 sq. hic in reducta valle Caniculae vitabis aestus[1])

Hor. c. III, 29, 18 sqq ostendit ignem, iam Procyon furit
et stella vesani Leonis
sole dies referente siccos.

Illorum Horati versuum memorem Apollinarem se praestitisse adfirmaverim, cum haec scriberet (c. XVI, v. 79 sqq)

cum Procyon fureret, cum solis torridus ignis
flexilibus rimis sitientes scriberet agros,
hospite te nostros excepit protinus aestus.

praeterea conferas velim Sid. c. XXII, v. sq.

nam quod fugit ora Leonis | . . . rabiem male sustinet Ursae.

[1]) Sidonium hunc locum in epistulis (VIII, 12, 5 sereni brumalis infida vitabis) re pexisse putat Geisler in Luetj. edit. pag. 377.

tum Sid, c. XXIV, v. 54 seu contra rapidi Leonis aestus.

denique fortasse huc referendus est Sid. ep. IX, 16, 3 versus 10

prodat hirritu rabiem canino.[1])

Haudquaquam in eo est, ut Apollinarem Flacci auctoritatem illis locis presse subsecutum esse contendam; etenim sententiae illae de sideribus aestivis siderumque rabido fervore sat usitatae sunt et apud plerosque poetas Romanos legenti occurrunt.

Atque scriptores illi haud mediocriter voces singulas inter se communicant, quae ex supellectile quadam poetica ab origine poesis Romanae poetis posteris tradita[2]) deprompta esse videntur. Cf. Verg. Georg. IV, 425; Aen. III, 141; Tib. c. I, 7, 21; Ov. Fast. IV, 904: 939 sqq; Martial. IV, 66, 13; Stat. Silv. III, 1, 54 al.

Nihilo setius loci, quos laudavimus, Sidoniani, quin ab Horatiana potissimum imitatione profecti sint, nec dubito nec haesito. Reperiuntur enim dictiones vocesque, quae Horatianae inventioni soli imputandae sunt; hasce habeo in promptu: ignis (sc. sidere indicatus), torridus ignis — torrentia sidera, Caniculae vitabis aestus — Leonis fugit ora, accepit Solem acutum — excepit protinus aestus, vesani Leonis — rabidi Leonis, iam Procyon furit — cum Procyon fureret, rabiem canino, quod mirifice accedit ad illud »rabiem Canis«. —

Propius autem utriusque poetae dicendi genera intuentes aemulum illum verborum urbanitate ac nitore sine ulla controversia ab Horatio vinci sponte confitebimur. Ut pauca in medio proponam, conferantur voces, quae sunt: furibundus (Sid. rabidus), vitabis (fugit), vesani (rabidi), stella Leonis (ora Leonis), simil.

Quapropter hos locos idoneos esse censeo, quibus poetae Lugdunensis et scribendi et imitandi ratio novis tamquam radiis illuminetur.

Sed pergentes proponamus Hor. ep. I, 10 versum 29:

quam qui non poterit vero distinguere falsum;

et Hor. ep. II, 2, 44:

scilicet ut possem curvo dignoscere rectum,

qui versus comparentur cum Sid. carm. XV, v. 111:

qui sapiunt veroque valent discernere falsum.

Non modo rerum verborumque, verum etiam versuum similitudo suadet, ut locos illos ab Apollinare aemulatore adreptos esse arbitremur. Huius autem imitationis Sidonius comitem habet Persium Flaccum, qui illorum Horatii versuum gnarus scripsit sat. V, v. 105:

. . . . . et veris speciem dignoscere calles.

Perversum sane est, quod C. F. Hermanno placuit, qui contra librorum fidem

---

[1]) Savaro p. 156 tantum Hor. c. III, 29 v. 18 inde ab „iam Procyon . . .“ cum Sid. c. XVI, v. 79 sq. composuit, quibus Geislerus (diss. p. 18) addidit Sid. c. XXIV, v. 54. Quos locos cum iam ipse sensissem, antequam illorum virorum libros inspexi, imitationem manifestam statuerim.

[2]) Cf. quae hac de re exposuit (litt. lat. hist.[5] p. 514) Bernhardius.

in edit. Persii scripsit »veri[1]) speciem«. Quis enim est, quin videat Persii illud »veris dignoscere speciem« respondere verbis Sidonianis »vero discernere falsum?« (De Apollinaris Sidonii imitatione Persiana cf. Geisler diss. p. 44.)

Verba ex Horatii carminum lib. II, c. 1 petita aliquotiens apud Sidonium inveniri recte Geislerus (diss. p. 14) indicavit, sed doctus ille vir ad stabiliendam hanc coniecturam ipse argumentum attulit nullum. Attamen ea opinio neutiquam praeiudicata fuit, quamvis in carminibus Sidonianis, quorum in hac quaestionis parte rationem habemus, non gravissima illius imitationis indicia reperiri possint. Nihilo setius notabilia quaedam ad firmandam Geisleri sententiam adferamus.

H. Peerlcampium, alios secutus Geislerus (p. 13 extr.) Horat. carm. II, 1 v. 40 »leviore plectro« composuit cum Sid. carm. XIV, v. 27 »minore plectro«.[2]) Cui loco nunc alia exempla adscribamus, quae mutuationis Sidonianae speciem prae se ferre videntur. Solidior enim locus quem modo tractavimus, hic est (ibid. v. 37 sqq.): »sed ne relictis, Musa, procax iocis | . . . quaere modos leviore plectro«, quibus cum versibus comparari liceat Sid. c. II, v. 538 »siste, Camena, modos tenues«.

Porro Sidonii enuntiata (c. IX, v. 74 sq.):

»supra belliferas madere glaebas
culmosos viridi cruore fratres«

et ibid. v. 251.

. . . et madidas cruore Carrhas,

si propius spectaveris, haud omnino dissimilia esse concedes Horatianis

(c. II, 1 v. 29 et 36):

quis non Latino sanguine pinguior
campus — quae caret ora cruore nostro?

Sidonius hoc loco etiam verborum Horatianorum rhotacismum aemulatus esse videtur (cf. Hor. v. 36 et Sid. v. 75).

Denique Apollinaris in c. XXIII, v 339 sq. »tandem murmure bucinae strepentis | suspensas tubicen cet.« ibid. v. 348 sq.

»cedit terra rotis et orbitarum
moto pulvere sordidatur aer«[3])

vestigiis poetae Venusini institisse potuit, apud quem haec leguntur (c. II, 1 v. 17 sq.):

---

[1]) Per se coniectura illa levis est, quoniam littera „s" (ante litteram s sequentem) addita facile ex errore librarii explicari potest; conferas Hor. epist. II, 3, 7 (aegri — aegris), ubi „aegri" praeferendum, Pers. sat. V, 150 (avido — avidos), ubi lectionem „avido" malim. — Aliter constituti sunt loci: Hor. sat. II, 2, 107 (inimicis — inimici) et Hor. ep. I, 18, 86 (inexpertis – inexperti), ubi littera s adhibenda est.

[2]) Accuratius hac de dictione in tertia huius quaestionis parte disputabimus.

[3]) Sidonii locum, qui in eodem carmine reperitur, versum 415 „turpans prociduam cruore frontem" conferendum esse duco cum Horat. sat. VI, 5 v. 61 „frontem turpaverat oris"; adde carm. IV, 6 v. 11 sq. „procidit — posuitque collum in pulvere"; loci similes sunt Hor. c. II, 7, 11; I. 6, 14; Verg. XII, 99, Ov. trist. I, 3, 93; quorum locorum fundus est Hom. Il. III, 55; cf. ibid. XIII, 336; Odyss. XXIV, 39; Aesch. Sept. 809.

minaci m u r m u r e c o r n u u m
perstringis aures, iam litui s t r e p u n t;

et ibid. v. 22

non indecoro p u l v e r e s o r d i d o s.

adde Hor. epist. I, 17, 7 (pulvis strepitusque rotarum).

Nonnihil ad Apollinaris versus, de quibus sermo fuit, conficiendos eius lectionem Horatianam ac praecipue carminis, II, 1 cognitionem attulisse, quis est, qui infitietur?

Iam vero disputationis ordo nos eo deducit, ut in illos Sidonii locos quaestionem instituamus, qui singulatim ex singulis Musae Horatianae carminibus petiti videntur. Qua in re tractanda ab iis locis initium capiamus, in quibus recensendis plane conspicua nobis constituenda est mutuatio.

Describitur igitur ab Horatio c. III, 1 v. 33 sq., quanta homines festinatione opes lucrumque insectentur, ut etiam maria seu piscinarum seu splendidarum domuum exstruendarum causa reprimantur:

c o n t r a c t a pisces a e q u o r a sentiunt
iactis in altum m o l i b u s; huc frequens
caementa demittit redemptor e. q. s.

Sidonii quoque locum cum illo comparandum integrum lubet exscribere, qui reperitur in panegyrico Anthemiano (c II, v. 56 sqq.):

»porrigis ingentem spatiosis moenibus urbem,
quam tamen angustam populus facit; i t u r in a e q u o r
m o l i b u s et veteres tellus nova c o n t r a h i t u n d a s.

Miror sane propositam hanc imitationem a nemine esse commemoratam, quamvis de illius fide, nisi omnia me fallunt, in nullius animo scrupulus possit restare. Quocirca Geislerum[1]) aliosque erravisse, qui hunc Solii locum conferre voluerunt cum Hor. c. II, 18 v. 20 sq. »marisque Bais obstrepentis urges | submovere litora« — ubi tantum sententiam similem legimus — parato te animo concessurum esse confido.

Comitatur autem, ut hoc addam, Sidonium in hac imitatione Seneca, cui eundem Flacci locum ante oculos obversatum esse Zingerleus docuit in libro »Zu spät. lat. Dicht.« I, p. 19; locus ille est Sen. Thyest.[2]) v. 459 »retro mare iacta fugamus mole«, quo versu Senecam Flacci vestigia multo levius quam Apollinarem persecutum esse patet.

Cui imitationi commode adnectetur geminus locus Horati, dico c. II, 15 v. 1 sqq., ubi poeta dum patrum aetatem laudibus effert, sua tempora hac adficit reprehensione:

»Iam pauca aratro iugera regiae
moles relinquent, u n d i q u e l a t i u s
extenta v i s e n t u r L u c r i n o | stagna lacu«.

---

[1]) diss. pag. 13.; addidit Plin. ep. VI, 20 9; VIII, 20 7; Petron. p. 159, 5 sq.

[2]) Seneca in studiosorum Flacci aemulorum numero reponendus est. Cf. Spika, de imitatione Horatii in Senecae canticis chori, Vindob. 1890; Zingerleus in libro laudato nonnulla exempla praebet. — Num Apollinaris Senecae gnarus fuerit, adhuc ignoramus.

Sidonius Horatii vestigiis ingressus hunc locum expressisse videtur locis duobus, quorum prior exstat paulo post versus, quos modo tractavimus, Sid. c. II, vers. 62:

»sic te dispositum spectantemque undique portus« cet;

posterior invenitur in Sid. carm. XVIII »de balneis villae suae« v. 7 sq.

»Lucrinum stagnum dives Campania nollet,
aequora si nostri cerneret illa lacus«.

Profecto enuntiata illa ita sunt comparata, ut vix ulla cuiquam oboriri possit suspicio Sollium hic alterius poetae respexisse auctoritatem.

Sed ad reliqua progrediamur. Legimus enim in carmine ad Faustum episcopum misso (XVI, v. 91 sqq.)

Seu te flammatae Syrtes et inhospita tesqua | seu caeno —
incultum mage saxa tenent, ubi sole remoto . . .
seu te praeruptis porrecta in rupibus Alpis
succinctos gelido libantem caespite somnos;

Etiamsi ratio, qua Sidonianae sententiae inter se excipiunt, nullo fere artiore vinculo cum singulari poetae Venusini loco sit conexa, tamen sententias vocesque varias dispersis e Flacci carminibus sumptas Sidonium hic conglutinasse liquet. Primum enim Arvernus ille totum orationis genus usurpavit a notissimo Horatii carmine, quod est lib. I, c. 22. Nonne enim verbis Sidonii »seu te flammatae Syrtes et inhospita t. — seu incultum saxa tenent« bene subicientur Horatiana illa (carm. laud. v. 5 sqq.) »sive per Syrtes iter aestuosas | sive facturus per inhospitalem | Caucasum vel . . .«, ubi praeter polysyndeton illud coniunctione »sive« (seu) repetita effectum praecipue dictiones »flammatae Syrtes« et »Syrtes aestuosas« verba »inhospita (incultum)« et »inhospitalem« sunt componenda. His adde Sidonii illud »ubi sole remoto« (simil. Sid. c. V. v. 35 »ubi sole propinquo«), quae locutiones certe non sine memoria Horatii c. I, 22 v. 17 sqq. »**ubi** nulla campis arbor — sub curru nimium **propinqui solis**« scriptae sunt.

In transitu attingam Sid. epist. VII, 17, 2 versum 17 »murus Alexandri te non tenet«, qui conspirat cum verbis »seu te incultum saxa tenent«: uterque ille locus ex Horatii c. I, 7, v. 19 sq. »seu te fulgentia castra tenent«[1]) pendere videtur. Ut Sidonius hic duos Flacci locos permiscuit, quibus communis est coniunctio »seu« (seu te) repetita, ita vocabulo »inhospitalis« (Hor. c. I, 22, 6) traductus est ad simile Horatii enuntiatum »et inhospita tesqua« (Ep. I, 14, 19), quod cum Sollii c. l. versu 91 »et inhospita tesqua« recte comparaverunt viri doctissimi; quae comparatio valde probabilis est, quoniam illa verborum coniunctione apud utrumque poetam versus clausula efficitur. Sed ut fieri solet, Apollinaris eiusdem epistulae Horatianae (v. 35) »iuvat somnus in herba« memoriam protulit dictis (v. 96) »libantem caespite somnum«. Denique in Sid. v. 95 »seu te — praeruptis in rupibus« forsitan adlusio insit ad Hor. sat. II, 6 v. 91 referenda. Hoc tamen levius est ac fieri posso concedo, ut ilico Apollinaris aut alterius scriptoris vestigia premat, aut suis ipsius pedibus ingredatur.

[1]) Illud Flacci carmen Sidonium summis in deliciis habuisse supra copiosius demonstrare sum conat·

Tota autem illa descriptio certe idonea est, qua nobis ansa praebeatur ad cognoscendam atque iudicandam huius scriptoris indolem poeticam, vel si mavis, imitandi artem atque sollertiam.

Sed ut arti criticae succurat haec quaestio, verum vidisse arbitror Buechelerum, qui in Sidonii panegyrico Anthemiano ita legendum esse censet v. 138 sqq.

ludus erat p u e r o raptas ex hostes s a g i t t a s
festina tractare manu captosque per a r c u s
. . . in cornua t e n d e r e nervos.

Buechelerus enim scribendum esse coniecit »tendere«; codices exhibent scripturam »trudere« praeter cod. Marcianum 554, quo perversum illud »rudere« praebetur. Sed ut praetermittam Buecheleri coniecturam multo melius in totam illius loci sententiam quadrare — haud temere Buechelerus quidem textum statuit variare — deinde ne quid dicam de illius coniecturae integritate ac prope dicam blanditiis[1]), augetur atque confirmatur viri litteratissimi opinionis probilitas eo, quod Apollinaris in perscribenda hac narratione Venusini poetae locum memoria complexus est, a quo potissimum loci Sidoniani origo ducenda videtur, dico carm. I, 29, v. 7 sqq.

p u e r quis ex aula . . .
doctus s a g i t t a s t e n d e r e Sericas
a r c u paterno, e. q. s.

Imitationem Sidonianam profecto tam luculentam esse persuasum habebis, ut vix ulla de illius fide dubitatio superesse possit.

Iam vero pergentes legimus apud Sollium paulo infra haec (c. II, 144 sqq.):

inventas a g i t a r e f e r a s et f r o n d e l a t e n t e s
q u a e r e r e, d e p r e n s a s modo claudere cassibus a r t i s,
nunc torto penetrare veru,

quibus versibus manifesta aemulationis Sidonianae vestigia deprehenduntur. Conferas enim Hor. carm. III, 12 versus extr. (10 sqq.)

. . . f u g i e n t e s a g i t a t o
g r e g e cervos i a c u l a r i et celer a r t o l a t i t a n t e m
f r u t i c e t o e x c i p e r e aprum.

Uterque poeta de venatione inicit mentionem. Alterum genus venatorium significatur verbis »feras torto penetrare veru«, cui respondet Horatianum »fugientes cervos iaculari«, alterum designatur »fronde latentes quaerere«, quocum apte congruit pronuntiatio Flacci »latitantem fruticeto excipere«;[2]) si voces singulas spectamus, componendae videntur hae: agitare feras — agitato grege, latitantem fruticeto — fronde[3]) latentes, fortasse etiam »arto fruticeto excipere« cum »artis cassibus deprensas«. Nam pro Sidonii imitandi ratione non casui attribuendum esse opinor et hic et illic vocabulum »artus« proferri. —

[1]) Notum est in codd. minusculas litteras r et e saepe similiter scriptas esse; notissimum vero in libris illa „u" et „n" (etiam v) inter se permutari sescenties.

[2]) Illustre sane exemplum, quo quantopere Apollinaris ab exemplo suo verborum elegantia superetur, sponte perspiciendum est (cf. fructiceto — fronde, latitantem — latentes, cet.).

[3]) Horatiana quoque vox „fruticeto" docet spernendam esse codicis Marciani lectionem „forte" satis ineptam.

Constabilitur autem illa poetae Lugdunensis imitatione scriptura cod. Hor. Blandinii vetustissimi,[1]) quae unice vera est (arto), quam plerique editores iure secuti sunt; lectionem minus probandam ac certe faciliorem, quam dicunt, minusque elegantem »alto« plerique exhibent codices, quam Orellium in contextum Horatianum recepisse miror.

Horatius in carm. II, 13, v. 30 sqq. umbras Alcaei aureo plectro sonantis carminibus auscultantes ita fingit:

sed magis | pugnas et exactos tyrannos
densum umeris bibit aure vulgus.

Apollinaris, qui c. XVI, v. 125 sq. verba ad Flacci exemplum direxit, ita pronuntiat:

. . . plebs sedula circumsistit,
expositae legis bibat auribus ut medicinam.

Imitatio proditur lectissima illa locutione »bibet aure« (Sid. »bibat auribus«), quam Geislerus (in diss. p. 16 adn. 1.) componendam esse censet cum Stat. silv. V, 2, 58 sq. (bibe . . auribus). At hanc Geisleri opinionem in controversiam adduxerim. Namque mihi persuasum est Arvernum illum totam comprehensionem, quam exscripsi, unice ad Horatii exemplum conformavisse. Cui sententiae maxime id favet, quod aemulator etiam verba »plebs sedula circumsistit« conscripsit intuitus Horatiana illa »densum umeris vulgus«. Quamobrem neminem dubitaturum esse spero, quin vox illa »bibat auribus« ex fonticulo Horatiano fluxerit, ex quo ceteroquin totam hanc comprehensionem derivavit Apollinaris.

Praeterea imitationem Sollii iuvabit proferre, cuius originem partim ab Horatio partim a Claudio Claudiano profectam esse probabile est. Apollinaris quo flagrat fabularum poesi inserendarum amore, in epithalamium Polemio et Araneolae dictum de gigantomachia inclusit narrationem; cf. Sid. c. XV, v. 18 sqq., quem locum integrum laudare supervacaneum est. Jeepius, qui Claudiani carmina recensuit, duos Claudii locos cum Sidonii versibus componendos esse monuit: Gigantom. v. 85 cum Sid. c. XV, 25 et Claud. gig. v. 91 cum Sid. c. XV, v. 23 sq., quibus Geislerus in diss. p. 30 nova quaedam exempla adiunxit. Recte enim Geislerus Sidonium in carm. XV, v. 18—26 nonnulla gigantum montiumque nomina[2]) ex Claudiani carmine mutuatum esse docuit. — Nihilo vero setius hoc quoque loco imitatio Horatiana videtur maioris esse momenti. Reliqua enim gigantum nomina deprompta sunt ab Horat. carm III, 4, v. 53 sqq. Conferas enim Sid. v. 19 Enceladus (Hor. v. 56), Sid. v. 19 Typhoeus (Hor. v. 53), Sid. v. 20 Porphyrion (Hor. v. 54), Sid. v. 25 Mimas (Hor. v. 53) Exceptis Enceladi et Typhoei nominibus, quae Sollius etiam profert carm. VI, v. 27, omnes has appellationes utrumque poetam tantum versibus laudatis adferre profecto notabile est. — Congruunt autem etiam voces quaedam illorum poetarum, quas quin in conspectu proponam, praemittere nolo. Hor. carm. III, 4, v. 56 sqq.

[1]) Quo de codice Kellerus nimis iniquum tulit iudicium; haudquaquam ut fide omnino indignus abiciendus est Cf. W. Mewes, Ueber den Wert des codex Blandinius vetustissimus für die Kritik des Horaz, Berolini 1882, p. 24, atque ea, quae eruditissime docuit K. C. Kukula, de Cruquii codice vetustissimo, Vindobonae 1885.

[2]) Velut „Pangaea (Claud. gig. 67 et Sid. XV, 20) et „Damastor" (Claud. Gig. 110 et Sid. VI, 20).

. . . Enceladus iaculator audax
contra sonantem Palladis aegida
possent ruentes? hinc avidus stetit
Volcanus, hinc . . .

Quibus versibus adplicavisse iuvat Sid. carm. XV, v. 25 sq.

. . . Mimas contra aegida torquet
impulsumque quatit iaculabilis insula caelum.

adde v. 32 sq. (Mulciber) hastam dextra tenet — Pallas protraxit oliva; | hoc steterat genio, cet.[1])

cf. etiam Sid. c. II, 348 »hinc Vandalus hostis urget et«.

Ex utriusque loci collatione liquet enuntiata vocesque huic illique poetae communes esse velut »Pallas«, »Volcanus« (Mulciber), »contra aegida«, »iaculabilis« (iaculator) al. Quibus omnibus subtiliter perpensis optimo iure contendere possumus Apollinarem in tota illa explicatione non tantum Claudiani verum etiam Horatii auctoritatem esse secutum.

Eiusdem epithalamii Polemio et Araneolae dicti versus paulo inferius sequentes (52 sqq.)

. . . quod musica mundum
temperet et certis concentum reddat ab astris, | signaque,

fortasse ex Horatii fonte manaverunt; componendi sunt Hor. epist. I, 6 vers. 3 sq.

hunc solem et stellas et decedentia certis
tempora momentis . . .

dein Hor. epist. I, 12 v. 16 sq.

quid temperet annum,
stellae sponte sua iussaene vagentur.

adde Hor. epist. II, 2, 187

comes qui temperat astrum.

Quamquam in dubio relinquendum est, num hos Horatii locos Apollinaris in componendis illis versibus memoriter retinuerit, tamen quia hi versus nondum cum alterius poetae verbis collati sunt,[2]) quae ille spectare potuit, Sidonium illud verborum genus ab Horatio usurpavisse prope ad verum accedit. —

Imitationem Sidonianam, quae certe maiorem habet fidem, deprehendimus in carmine ad Faustum episcopum misso, ubi (c. XVI, v. 106 sqq.) hic poeta simili utitur sententiarum conexu atque scriptor Venusinus; sunt autem verba haec:

. . . vixque otia somni
vix coctos capture cibos abstemius aevum
ducis et insertis cet.

---

[1]) Cf. etiam Sid. c. VI, 27 „Enceladus patri iacuit fratrique Typhoeus". qui versus ad eundem fontem redire videtur.

[2]) Pauca enim, perpauca sunt in Sidonii carminibus, quae illius scriptoris ingenio imputare debeamus; cf. Carolus Purgold, Archaeolog. Bemerk. zu Claud u. Sidon. pag. 114.

Horatianus autem locus, quem in animo habemus, in eadem epistula exstat, quam modo attigimus, dico ep. I, 12, v. 7 sq.

si forte in medio positorum[1]) abstemius herbis
vivis et urtica, sic vives protinus . . .

Praeter rerum consensum in id potissimum quaeso animum intendas, quod uterque auctor dicta »abstemius« et »vivis et« (s »ducis' et« aevum) in eadem versus sede collocata praebet.

Sed iam alios locos perlustrare consilium est, qui haud laxiore cognatione inter sese coniuncti sunt. Sollius in carmine vicesimo altero agrorum fertilitatem hac ornat laude v. 169 sq.

desuper in longum porrectis horrea tectis
crescunt atque amplis angustant fructibus[2]) aedes.
huc veniet calidis quantum metit Africa terris,
quantum vel Calaber, quantum colit Apulus acer, . . .
quantum Mygdonio committunt Gargara sulco.

Cuius descriptionis rationes Arvernus ille doctus e Flacci poematis repetivisse videtur ac praecipue nixus esse Horatii carm. III, 16 v. 26 sq.

quam si, quidquid arat impiger Apulus,
occultare meis dicerer horreis;

ibid. v. 30 sq. segetis certa fides meae
fulgentem imperio fertilis Africae;
ibid. v. 33 quamquam nec Calabrae . . .
v. 41 quam si Mygdoniis — campis continuem.

Apollinarem hoc quoque loco non tam in formam, quam in res mentem convertisse primo obtutu legentem agniturum esse puto. Si igitur singula spectamus, primum omnium rerum notandum est aemulatorem prope omnia nomina propria ab Horatio deprompsisse; recepit enim nulla necessitate coactus talia: Africa, Apulus, Calaber, Mygdonius, verborum ordine leviter commutato. Sidonii autem animo prolatos Horatii versus firme inhaesisse vel inde intellegi potest, quod utrique scriptori non desunt elocutiones, quae astricto sane vinculo inter se coniunctae sunt, velut comprehensio Sidoniana »quantum colit Apulus acer« perbene respondet Horatianae illi »quidquid arat impiger Apulus«[3]). Etiamsi in nullius mente scrupulum restare existimem, quin Sidonius hunc potissimum Flacci locum ante oculos habuerit, tamen Arvernum alterius quoque carminis Horatiani memoria imbutum esse, cum illos versus scripsit, vix est, quod moneam. Quis enim, qui vatis Venusini poesin aliquantenus degustavit, non recenti tenet recordatione versus notissimos (c. I, 1, 9 sq) »illum, si proprio condidit horreo, | quidquid de Libycis verritur areis«, quibus profecto consimilis orationis modus indicatur atque Sidoniano illo »desuper horrea crescunt — huc veniet, quantum metit Africa

[1]) scil. ciborum.

[2]) Non video, cur recipienda sit Heinsii coniectura „frugibus", quoniam vox tradita „fructus" sensu „Ertrag" hic usurpata esse potest sicut etiam apud Hor. ep. I, 12 1; sat. I, 2. 79. —

[3]) Epitheton simile Apulo attributum legimus apud Hor. epod. II, 42 (pernicis Apuli) similisque illorum nominum sat singularium compositio invenitur apud Sidon. carm. VII, v. 147 sq. —

terris?« Flaccus hic altius insurgens per synecdochen pro »Africa« appellatione »Libyca« utitur. Sollius autem personificatione »Africa metit« usus Horatii constructionem passivam nitore superat.

Horatius carm. libr. III, c. 4, 30 sqq. se in Musarum tutela ac fide hilarem maria tumultuosa aestuosaque deserta permeaturum esse confirmat ita:

»insanientem navita Bosporum
temptabo et urentes harenas
litoris Assyrii viator«.

His versibus adiungere liceat Sidonii locum, qui exstat in panegyrico Anthemiano (v. 505 sqq):

. . . »sed quem modo nauticus urit
aestus Abydenique sinus et Sestias ora . . .
circumclamata procellis«.

Duobus his locis inter se collatis vix quemquam fugere potest totam illam Horatii explicationem vim quandam in Sidonii mentem exercuisse. Congruunt enim aliquatenus enuntiata »Abydenique sinus« et »Assyrii litoris«, sed gravius momentum positum est in vocum singularum concentu, qui conspicitur in hisce: nauticus — navita, urentes — urit, cf. etiam »aestus«.

Deducimur hac quoque imitatione Sidonii ad artem criticam Horatianam. Commendant enim melioris notae codices scripturam »urentes«, cum libri tertii generis (Kelleri digestionem sequor) lectioni »arentes« suffragentur. Kellerus ad dubium hunc locum (epileg. ad Hor. p. 202) adnotat lectionem »arentes arenas« speciosam praebere adlitterationem, quae sane scriptura »harenas« optime tradita dissolvatur. At lectionem »urentes« certe magis expressam magisque poeticam esse sponte intellegitur, quàm Sidonianus hic locus apte fulcire videtur; quem secuti scripturam »urentes« unice veram esse statuere non dubitabimus[1]).

Neque vero alterum huius panegyrici locum in medio proposuisse pigebit, cuius aequas fere partes poeta Lugdunensis Horatio debet et Papinio Statio. Disputat enim de Hunnis poeta in carm. II, v. 262 sqq.

. . . vix m a t r e c a r e n s ut constitit infans,
mox praebet dorsum sonipes; cognata reare
membra viris: ita semper e q u o ceu fixus a d h a e r e t . . .

Suo iure Rudolfus Bitschofsky l. l. p. 24 illum locum componendum esse statuit cum versibus Statianis, quos scriptos reperimus in Theb. VIII, 392 sqq.

corpora ceu mixti dominis irasque sedentum
induerint: sic frena terunt, sic proelia poscunt
hinnitu tolluntque armos equitemque supinant.

Quae aemulus ille non ab Statio mutuatus est, decerpsit e poematis Flacci; is de Scythis Getisque mentionem facit in carm. III, 24, ubi haec leguntur v. 17 sq.:

illic m a t r e c a r e n t i b u s
privignis mulier temperat innocens;

[1]) Multo minoris sane momenti ii loci videntur, quos O. Kellerus l. l. congessit.

porro ib. v. 54 sq.

»nescit equo rudis
haerere ingenuus puer«.

Ex diligenti utriusque loci comparatione enuntiata singula Sidonii ad Venusinam auctoritatem prope accedere elucet; quare illam Sidonii narrationem aequabiliter ex Apollinaris memoria Statiana atque Horatiana fluxisse merito adfirmari licebit.

Porro Horatius carm. III, 26, v. 4 sqq. sese sequi Venerem iam destitisse exponit pergitque hunc in modum:

barbiton hic paries habebit
laevum marinae qui Veneris latus
custodit; hic, hic ponite — vestes et arcus

Huius explicationis significationem, ni fallor, sat conspicuam deprehendere possumus apud Sollium, qui in carm. XXII, v. sqq. haec praebet verba:

laeva parte tenet vasta dulcedine raucam
. . . lyram, pars dextra sagittas | continent e. q. s.

Non opus est admonitione totum illorum verborum colorem cum oratione conguere Horatiana. Iam singula, lector benevole, quaeso examines!

Duorum autem locorum Horatianorum memoria nobis excitatur in perlegendis versibus Sidonianis, qui inveniuntur in carm. IX, 318 sqq.

Nos valde sterilis modos Camenae
rarae credimus hos brevique chartae,
quae scombros merito piperque portet . . .
ut vel suscipiens bonos odores e. q. s.

Primum enim Apollinaris videtur recordatus esse Horatii sat. I, 4, v. 18 sq.

»di bene fecerunt, inopis me quodque pusilli
finxerunt animi raro et perpauca loquentis.«

adde Hor. c. II, 16, 38 sq.

»spiritum Graiae tenuem Camenae | Parca — dedit.«

His locis uterque poeta de ingenii sui imbecillitate verba facit, qua impediatur, quominus multa aut ingeniosa pangat poemata. Sidonius autem in exprimenda sententia similia Flacci enuntiata sibi vindicavit. Namque Horatianum illud »spiritum tenuem Camenae« luculenter conspirare cum Sidoniano »sterilis[1]) modos Camenae« atque dictionem »raro et perpauca loquentis« haud male respondere illi »rarae credimus brevique chartae« quis est, quin intellegat? — Alter Horatii locus, qui huc referendus est, legitur in epistul. II, 1 extr. »tus et odores | et piper et quidquid chartis amicitur ineptis.« Minus recte Bitschofsky (pag. 49) huius epistulae versus 266—270 integros cum Sidonii loco composuit.

Pergentes in perscrutandis imitationibus Sidonianis incurrimus in argumentum, quod Geislerus (diss. p. 18) parum accurate cum quibusdam Flacci versibus comparavit. Est enim locus hic: Sid. c. XVII, v. 15 sq.

[1]) Fortasse rectius scribendum est „steriles modos" sicut poeta Venusinus dicit „tenuem spiritum" maiore usus elegantia.

vina mihi non sunt Gazetica, Chia, Falerna
quaeque Saraptano palmite missa bibas,

quibuscum versibus doctus ille vir composuit Hor. c. I, 20 v. 10 sqq.

»mea nec Falernae temperant vites neque Formiani pocula colles«.

Sed in his aemulationis vestigiis sane probabilibus acquiescere non aequum est, quippe cum alia non minus gravia accedant testimonia, e quibus Sollium aliis quoque huius carminis locis ad Flacci vestigia sese adplicavisse perspicitur. Primum fugit Geislerum. Sidonii comprehensionem »quae (vina) Saraptano palmite missa bibas« non tam ad versus ab ipso prolatos, quam ad eiusdem carminis Horat. v. 9 sq. referendam esse »uvam Caleno prelo domitam bibes.«[1]) Porro Sidonium in v. 17 sqq. luculenter dicta Horatiana sua fecisse non vidit Geislerus; legimus hic:

»pocula non hic sunt illustria nomine pagi,
quod posuit nostris ipse triumvir agris«

Nescio in quem Flacci locum Sid. versus 17 melius quadret, quam in Hor. c. I. v. 10 sqq., ubi prorsus eadem proponitur sententia; atque hoc maxime respicias eandem vim inesse in Horatii pronuntiatione »nec Falernae vites neque Formiani colles« atque in Sidonii enuntiato »illustria nomina pagi (vina)«. Tum Apollinaris v. 22 »quod posuit ipse triumvir« ex mea quidem opinione Horatiani carminis versum alterum »quod ipse conditum levi« attingit. Denique aemulus Arvernus Horatii dicendi rationem imitando expressit, qui cantilena illa convivae indixit, quo potu deberet esse contentus. Sidonium illud Flacci inventum pro more suo in totum fere carmen extendisse videmus. (cf. Sid. c. XVII, inde a versu quinto.)

Simili ratione sententiae inter se excipiunt apud Hor. ep. I, 5, ubi cum carmine laudato conferendi sunt v. 1 sq. et 4 sqq. Ilico Horatius de supellectili ad cenam necessaria mentionem facit v. 21 sqq. sicut Sidonius c. XVII, v. 5 sqq. (verbum splendendi legitur apud Hor. v. 7 et Sid. v. 7) Huc accedit, quod utrique scriptori dies natalis celebrandus convivii instruendi occasionem praebet (Sid. v. 3 et Hor. v. 9).

Iam vero alio delectaberis exemplo, de quo iterum minus subtiliter Geislerus (diss. p. 17.) disputasse mihi videtur. Dicit enim ille Sidonium sat mirum imitationis exemplum proferre in c. IX, v. 238 »ducebant olidae marem capellae«; quam comprehensionem ad Horatianum illud »olentis uxores mariti« (c. I, 17, 7) referendam esse nec meam sane fefellerat attentionem. Sin curiosius statuere velis, unde hic locus tamquam radices egerit, Sidonii vocem »olidae capellae« vix tam apte cum verbis »olentis mariti«, quam cum Horatii epistulae quintae, de qua modo disputavimus, versu 29 »olidae caprae« componere debebis.[2])

Porro Geislerus hoc loco demonstrare studet Sidonium, ubi Flacci vestigia pressit, orationis Horatiane flores imitatione adsequi non valuisse.

[1]) Scripturam „bibes“ exhibent libri fere omnes; „bibis“ praebet Porph., „bibas“ coniecit O. Keller. Locus Sidonianus Kelleri coniecturam fulcire videtur. At propter alterum locum Horatianum verborum perpetuitate huic simillimum (Epist. I, 5, 4 vina bibes iterum ,), ubi codices omnes lectionem „bibes“ tuentur, scripturam illam hoc quoque loco retinendam esse mihi persuasi; saepissime enim Flaccus verba sententiasque repetit.

[2]) Apollinaris tantum verborum formam debet Horatio, fortasse sententiam; invenimus enim eandem sententiam hisce locis: Theocr. VIII 49(ὦ τράγε, τᾶν λευκᾶν αἰγᾶν ἄνερ), quem imitatus est Vergilius buc. VII, 7 „vir gregis ipse caper“; cf. Mart. IX, 71, 1 sq. et Mart. III, 93, 11, quem locum iure adfert Geislerus.

At equidem his de verbis Horatianis ornatum quendam dicendi nullo modo extricare queo prorsusque S. Teuffelii sententiam comprobo, qui in litt. lat. histor.[5] p. 527 sq. haec adnotavit: Der hohe Ton ist nicht des Horaz Sache; wo er ihn anstimmt, fällt er leicht aus demselben heraus, so dass man manchmal zweifelhaft ist, ob dies nicht mit bewusstem Humor geschieht. So klingt es wie Travestie, wenn in einer sapphischen Ode von »teretes surae« die Rede ist (c. II, 4, 21) oder in einer alcaeischen von »olentis uxores mariti« (c. I, 17, 7, quo de loco sermonem habemus); dergleichen Geschmacksfehler sind die »auritae quercus« (c. I, 12, 11 sq., quem locum infra in examen vocabimus). Et certe ridiculi aliquid inest in hac dictione, cuius memoriam eadem de causa[1]) firme fideliterque conservare potuit imitator.

Simili ex causa derivanda est interpretatio illarum Sidonii imitationum, quae spectant ad illustrandas Orphei artes musicas. Quas poeta Venusinus carm. I, 12 v. 7 sqq. ita depingit:

»Unde (ex Haemo) vocalem temere insecutae | Orphea silvae,
arte materna rapidos morantem | fluminum lapsus celeresque ventos,
blandum et auritas fidibus canoris | ducere quercus«.

Quem Horatii locum O. Kellerus (epileg. ad Hor. p. 46) comparari iussit cum Sidonii carm. II, v. 71 sqq., ubi exstant hi versus:

»qui cantu flexit scopulos digitisque canoris
compulit auritas ad plectrum currere silvas,
cum starent Hebri latices cursuque ligato
fluminis attoniti carmen magis unda sitiret.«

Doctus ille vir hoc argumento Sidoniano sat firmo usus lectionem traditam »silvae« contra G. Wolfii coniecturas (»beluae« s. »cervae«) defendit. Sed nec is nec alii viri, qui velut M. Hertzius (anal. crit. V p. 17), E. Geislerus (diss. p. 13,) Kelleri locum laudant, quo artiore vinculo hi loci inter se conexi essent, docuerunt. Atque Kellerus ipse tantum Horatii enuntiatum »silvae temere insecutae« cum Sollii hemistichio »ad plectrum currere silvas« ad usum suum composuit. Sed plura Apollinarem in rem suam transtulisse invenio. Perspicua quidem exstat similitudo inter Sidonianum illud »digitisque canoris — auritas currere silvas« et Horatii dictum »et fidibus canoris — auritas ducere quercus«.

Tametsi apud plerosque poetas Romanos de Orphei artibus mentio fit, velut apud Vergilium Ovidiumque, quorum auctoritatem Sidonium saepius respexisse haud ignoramus, tamen Sidonium hic potissimum ad Flacci vestigia sese adiunxisse adfirmaverim, quoniam primum talibus locis illorum poetarum inspectis illos vocibus variis eandem rem persecutos esse intelleges, deinde quod ex aliis imitationibus Sidonianis ad eandem Horatii explicationem redeuntibus illa quoque verba Horatianis simillima ex eodem fonte manavisse necessario sequitur. Legimus enim apud Sidonium c. XVI, v. sqq.

»Orpheaque et laticem . . .
Ogygiamque chelyn, quae saxa sequacia flectens
cantibus auritos erexit carmine muros«.

[1]) Hoc plane percipiet, cuicui adriserit Horatii illud (ep. II, 1, 262 sq.):
discit enim citius meminitque libentius illud,
quod quis deridet, quam quod probat et veneratur.

Primo obtutu conspicitur vocabulum illud singulare »auritus« hoc loco mirabilius etiam cum voce »murus« coniunctum. Est enim epitheton illud, quod Flaccum sine subtiliore iudicio verbo »quercus« adplicavisse vidimus. — Paene oblitus sum G. A. Kochium („Vollständ. Wörterb. z. d. Ged. des Horaz", ed. alt. Hannover 1879 p. 55 adn.) s. v. »auritus« adnotavisse: Auch bei Sid. Apoll.[1]) c. II, 71. vgl. unser »die Wände haben Ohren« cet., qui etiam alterum hunc locum Sidonii, tertiumque, ubi vox »auritus« mirifice usurpata legitur, addere potuit. Namque, ut omnia, quae huc pertinent, verbis exsequar, Sidonium c. XXIII, v. 184 sqq. ac potissimum versum 190 »aurita chelyn expetente silva« Horatii memorem scripsisse veri simile est.

Iam vero ad alia exempla nos vertamus. Apollinarem carminum lib. I carminis 22 gnarum fuisse supra adumbrare temptavimus Sed hic argumentum in medio proponere iuvat, quo Sidonium certissimis vestigiis poetam Venusinum persecutum esse liquebit.. Horatius carm. I, 22 v. 9 sqq. se in silvis inerme vagantem lupum inusitata specie fugisse explicat ita:

namque me silva lupus in Sabina
dum meam canto Lalagen et ultra
terminum curis vagor expeditis | fugit inermem:
quale portentum neque e. q. s.

Quam narrationem poetae Lugdunensi in mentem incidisse suspicor, cum haec scriberet de Alcide c. VII, v. 183 sqq.

Alcides, Nemeae dum saltibus errat,
occurit monstro vacuus, non robora portans,
non pharetras.

Apollinarem hic Horatii auctoritatem sine fuco ac fallaciis persecutum esse, non est, quod commemorem. Sententia huius loci Sidonii vix propria est. Sin rem ad vivum resecamus, poetam consulto neque sine sollertia complures Flacci voces variavisse probabile est. cf. silva — saltus, dum vagor — dum errat, portentum — monstrum; sed ne Flacci dictum »inermem« de scripto suum faciat, longis ambagibus dicit »vacuus, non robora portans, non pharetras«, quae pronuntiatio non sine eiusdem carminis Horatiani recordatione (cf. v. 2—4) videtur esse conscripta.

Consideranti porro Sid. carm. XXIII versum 473 sq.

si forte tuum caput latusque
circumstent gladii triumvirales

mihi verborum consensus staduendus est cum Horatii sat. II, 6 v. 33 sq.

. . . aliena negotia centum
per caput et circa saliunt latus.

Imitationem num tu infitiabere, si inspexeris illud proprie dictum Horatianum »per caput et circa saliunt latus«, quod aemulus Arvernus ferme de scripto sibi vindicavit?

Nec leviora mutuationis Sidonianae indicia deprehenduntur in narratione illa, qua Apollinaris Danaum suarum cuique filiarum ensem ad procos noctu trucidandos fingit tradentem c. XV, v. 169 sq.

[1]) Debebat rectius „Apoll. Sid." scribere; de Sidonii nomine in ultima sede ponendo conferantur ea, quae docuit Sirmondus in not. editioni alt. (anno 1652 curatae) addit. pag. 6.

. . . quinquaginta enses genitor quibus impius aptat
et dat concordem discordia iussa furorem.

Quibus in versibus conscribendis Apollinarem memoria Horatiana suscitatum esse pro certo contenderim. Flaccus enim epodon carmine septimo Romanos vehementi impetu irruentes cohortatur, ne bellis civilibus urbem secundum hostium vota ipsi perdant. Quod carmen ita incohatur:

Quo, quo scelesti ruitis aut cur dexteris
aptantur enses conditi?

Nonne cum Horatii dicto »dexteris aptantur enses« apte componetur comprehensio Sidoniana »enses quibus impius aptat?« Consentit quoque vox Horatii »scelesti« cum Sidonii verbo »impius«. Sed Sidonii versum 170 »et dat concordem discordia« . . . cum Hor. ep. I, 12 v. 19 »rerum concordia discors« conferam. Sollium ergo hoc loco vatis Venusini auctoritatem spectavisse in propatulo est.

III.

Sed iam transgredi libet ad tertiam huius quaestionis partem, qua collaticios comprehensionum locutionumque singularum locos sub aspectum subiciemus, quos Apollinaris in artem suam convertisse videtur. Singula sane huius argumentationis documenta non omnia eiusdem sunt momenti. Ut vero parte superiore demonstrare studuimus Sidonium haud necessario putari ex Horatiano hortulo dicendi quosdam flores decerpsisse, si consimilia enuntiata sententiaeve etiam apud alios poetas anteriores exstabant — nisi forte Sidonius verbum ex verbo reddidit — ita etiam minus eas »imitationes« Sidonianas, quae in hac disputationis parte proferentur, directae relationis argumenta nominabimus, utpote cum dictorum poeticorum copia, quam vates vetustiores tradiderant, a multis vel potius plerisque scriptoribus posteriorum temporum sit usurpata.[1]) Quapropter nonnullos Horatii locos allaturi sumus, quos cum Sidonianis comparare non pigebit, quamquam saepenumero addubitari poterit, num Sollius in ipsis Horatianis vestigiis sit ingressus.[2]) Dein locum Horatii interdum ab Apollinare »expressum« notavimus, ubi satis fuit dixisse poetam Arvernum non sine Horatii memoria verba quaedam conscripsisse.

Nihilo vero setius directae quoque mutuationis indicia etiam in dictionibus enuntiatisque singulis utrique scriptori communibus dispici possunt. Nimirum de omni cuiusvis poetae imitatione non ita cogitare licet, ut aemulum exempli sui opera manu terentem verba locutionesque inde vel exscripsisse vel sententias dictionesque lectas de scripto variasse arbitremur. Neque hercle Sidonium hoc modo Horatii rationem habuisse equidem existimaverim. Immo vero rem ita gestam esse iudico, ut Apollinaris, qua diligentia Horatii libros legit, Flacci dicendi genus vocumque copiam tota mente imbiberet, quo fiebat, ut carminum Horatianorum memoriam partim sciens,[3]) maximam partem inscius in carmina epistulasque insereret, cuius vestigia neminem praeterire queunt.

Quodsi locis ante laudatis examinatisque adumbrare temptavimus, sive quali veneratione Musam Venusinam suspexisset, sive qua studiorum diligentia Horatii sententias atque scribendi rationes observavisset Sidonius, hac parte id potissimum sequemur, ut Sidonium etiam in minutiis sese ad Flacci exemplum conformavisse ostendamus, cuius ex operibus eum vocum poeticarum

---

[1]) Neque profecto vereor adfirmare multas locutiones ab Ennio Lucretioque inventas, ab Horatio Vergilioque susceptas vix apud unum aetatis posterioris poetam desiderari.

[2]) Haud raro Sidonius Horatii locum verbis leviter mutatis mutuatus est: de illorum locorum fide legentium arbitrio permissa est dubitatio.

[3]) Ubi sciens Apollinaris verba ad Horatii exemplum dirigit, ipse Sidonius modestum se praestat, quia poetae maioris ingenium libenter comprobat: nam ex veterum opinione imiri est tacite probare.

copiam, verborum ubertatem, singulares quasdam vocabulorum colligationes in poesin suam transtulisse patebit.

Sed quoniam hac parte nulla res rectum explicationis iter obstruit, aemulationis Sidonianae exempla conservato carminum ordine perlustrare non alienum videtur.

Initium igitur capiamus ab iis locis, qui continentur carminibus epistularum libris novem insertis. Neque vero multa neque graviora exempla his in cantilenis reperiuntur, quae in censum venire possunt. Equidem haec in promptu habeo:

Sid. ep. II, 10, 4 v. 26 »responsantibus alleluia ripis« componam cum Hor. c. I, 20, versu 5 sq. »ut-fluminis ripae simul et iocosa redderet laudes-montis imago«) Sidonium hoc Flacci carmen in deliciis habuisse supra vidimus; haec imitatio stabilitur altera: Sid. c. V, 218 sq. »fors ripae colle propinquo — resonabat hymen«.

Sid. ep. IV, 11, 6 v. 24 »parce rigare« et ep. VIII, 9, 5 v. 56 »parce provocare«, quae enuntiata coniunctivi prohibitivi partibus funguntur (parce = noli) perinde atque apud Horat.[1]) c. III, 8 26 »parce cavere« simil. c. I, 28, 23 sq. »ne parce-dare«.

Sid. ep. VII, 17, 2 v. 1 et 5 »sociande patronis — natus ad Euphraten« cf. Hor. c. IV, 9, v. 2 et 4 »natus ad Aufidum — socianda chordis«. Locum similem inveni apud Juven. I, 114.

Sid. ep. VII, 17, 2 v. 7 »regi truculento Susidis orae« bene comparabitur cum Hor. c. I, 26, sq. »sub Arcto | rex gelidae metuatur orae«. Sid ep. VIII, 11, 3, v. 19 sqq. confer cum Hor. c. I, 12, v. 8 sqq. Sid. ep. IX, 13, 2, v. 24 »hoc me teque decet: parce, precor, iocis«. cf. primum Hor. c. I, 26, 12 »teque tuasque decet sorores», deinde Hor. c. IV, 1, 2 »parce, precor, precor«.[2])

Sid. ep. IX, 13, 5, v. 5 »studiis in astra tollas« componas velim cum Hor. sat. II, 7, 29 »tollis ad astra levis«; adde Hor. carm. IV, 2, v. 23.

Sid. l. l. v. 39 »calathi ferant capaces«: Non sine Horatii memoria haec dictio a poeta videtur scripta esse, quoniam poeta Venusinus cum favore quodam vasis epitheton »capax« attribuit. Haud male hunc in locum quadrant Hor. epod. IX, 33 et c. II, 7, 22 sq; c. III, 1, 16

Sid l. l. v. 56 sq. »epulas — umeris ferant onustis« cf. cum Hor. sat. I, 1, 47 sq. »reticulum panis — onusto forte vehas umero«. Sid. l. l. v. 65 »dare fracta membra ludo« cf. cum Hor. sat. I, 1, 5. Sid. ep. IX, 15, 1 v. 7 »resonet mixtus ille pes celerrimus, et v. 29 sq. si lyrae — Latiare carmen aptet absque Dorico«. His versibus Sidonianis certiora poesis Horatianae vestigia impressa videntur; cf. enim epod. IX, 5 sq :

sonante mixtum tibiis carmen lyra
hac Dorium, illis barbarum.

[1]) Hic parcendi verbi usus Horati proprius est; exemplum simile apud Livium (l. XXXIV, c. 32, 20) legimus; cf. etiam Horati illud „fuge quaerere" (c. I, 9, 13).

[2]) Cf. Ovid Met. II, 361 sq. „parce, precor mater"; porro vid. Mart Hertz, anal. crit. ad carm. Horat. historiam V, p 15; deinde ea, quae proposuit Paulus Schwartz, de Iuvenale Horatii imitatore, diss. Hal. pag 26. (Iuven. VI. 172).

Jam ad ultimum accedamus carmen, quod Sollius epistularum libris intexuit; duos hic locos cum Horatio componendos inveni:

Sid ep. IX, 16, 3 v. 18 sq. »nil tumescentes veriti procellas | sistimus portu«.

Hor. c. II, 10, v. 2 sqq. dum procellas | cautus horrescis, nimium premendo litus.

Sid. c. l. v. 21 indulsit populus Quirini

Hor. carm. I, 2, v. 46 intersis populo Quirini.

Praeterea conf. Sid c. l. v. 82 cum Hor. sat. II, 1, 28.

Iam vero ad ipsa Sidonii carmina progrediamur. Exstant enim hic quoque praeter descriptiones longiores singula quaedam enuntiata, quae cum Horatii locutionibus non pigebit componere.

Ordiamur igitur a praefatione panegyrici dicti Anthemio Augusto. Qua in cantilena locutio Sidonii »parvula tura damus« (v. 24) cum Hor. c. IV, 2, 51 sq. »dabimusque divis tura« consentit.

In ipso Sidonii panegyrico legimus »religa . . fronde comas« (v. 9 sq.), quae dictio profecta esse potest ab Hor. epist, II, 1, 110 »fronde comas vincti cenant«; adde Hor. c. II, 11, 24 »more comam religata« et c. IV, 11, 4 sq. — Confidentius verba Horatiana, quae leguntur in carm. III, c. 5, 23 sq. »portasque non clausas et arva Marte coli« (cf. art. poet. v. 199) in Sidonii animo haesisse contendam, quod insolitam hanc verborum compositionem prope ad verbum expressit carm. II, v. 80 »portas non clauserat hosti«. Porro Sid. v. 87 sq. memoriam revocant Horatii carm. I, 31, 2 sq. — Firmius autem Sollium illum locum memoria tenuisse suspicor, quo poeta Venusinus de Fortuna Antiana venerabilissima inicit mentionem, (cuius carminis Sidonium peritum esse haud ignoramus) dico c. I, 35, 12 »te (sc. Fortunam) purpurei metuunt tyranni«, cuius enuntiati Sollius memoriam suscitat versu 96 »purpureos[1]) Fortuna viros cum murice semper | prosequitur.« Consensus quidam intercedit inter verba Sidonii (v. 165) »quidquid laudatum est Scythicis-in arvis« et Horatii illud »quidquid de Libycis verritur areis« deinde Sid. v. 193 »his hunc formatum studiis« et Hor. carm. III, 24, v 53 sq. »mentes-formandae studiis«; adde Hor. epist. II, 1, 128; sat. I, 4, 121 Sidonii dictum »post iura daturi« (v. 203) haud minore cum fide ad Horatium — cf. carm. III, 3, 44 »dare iura Medis« et c. IV, 15, 22; IV, 14, 7 — quam ad Statium potest referri; cf. R. Bitschofsky, l. l. pag. 73. Fortasse, ut hoc addam, Apollinaris hoc loco suis ipsius insistit pedibus. Sidonii v 229 »post guttura fracta Iugurthae« pertinere videtur ad Hor. c. II, 13, 5 sq. »parentis-fregisse cervicem« et epod. III, 2 »senile guttur fregerit«. Sid. v. 259 »insignes umeri« componere liceat cum Hor. c. I, 21, v. 11 sq. »insignemque umerum«; cf. Hom. Il. III, 227. — Sid. v. 303 »quem exspectabat fracturus guttura lictor« iterum cum Hor. epod. III, 2 componam, quem locum recenti sane recordatione Sidonius custodivisse videtur; aliis enim locis aliis verbis haec

[1]) Hic locus Horatianus traditae huic scripturae suffragatur, quam Luetjohann sine causa in „purpureo" (sc. murice) permutandam esse censet. Praeterea lectionem „purpureos" difficiliorem magisque poeticam esse sponte intellegitur. Conferas etiam Sidonii carm. II, v. 196, qui locus Luetjohannem fugisse videtur.

res exprimitur (cervicem s. gulam frangere). Cf. etiam Sid. c. 13, v. 3 sq. »confregerit-ille guttura«. Porro Sidonius versum 310 similiter concludit »non est modo dicere tempus« atque Horatius sat. II, 4, 1, »non est mihi tempus aventi«. Sidonii v. 334 »in viridi fluitabat silva capillo« fortasse pendet ex Hor. carm. I, 21, v. 5 sq. »et nemorum coma — silvis aut viridis Cragi«; sed cum versus Homericos Il. XVII, 677 et Odys. XXIII, 195 multi poetae Latini imitati sint, quos Apollinaris spectare potuit, haec imitatio haudquaquam manifesta est; cf. etiam Hor. c. IV, 3, 11 et IV, 7, 2; Cat. c. IV, 12. Locutionem »grex niger« Sidonius (v. 375) Horatio videtur debere »nigro compulerit-gregi« (c. I, 24, 18). — Ut levioris significationis[1]) Sidonianae argumenta missa faciam, collaturus sum Sidonii dictum »turgida vela«; (v. 510). cum Horat. carm II, 10, 23 sq. »contrahes-turgida vela«; simil. epist. II, 2, 201 (tumidis velis). Manifestam Sollii mutuationem dispicimus in v. 529 sq. »miseroque tumultu | pelle prius«, cuius origo ducta est ab Horatio; cf. carm. II, 16 v. 10 »submovet lictor miseros tumultus«. Porro non sine veri specie Sidonii hemistichium (538) »siste Camena modos tenues« referam ad exemplum poetae Venusini, qui hac ratione carmina quaedam ad finem adducit, velut carm. III, 3, 70 sqq. (»quo Musa tendis? desine-magna modis tenuare parvis) et c. II, 1 v. 37 sqq.«, Bacchylidis fortasse auctoritatem secutus.[2]) Denique conferamus Sid. v. 547 »perge — omine fausto« cum Hor. carm. III, 11, 50 sq. »perge secundo | omine«.

In Sidonii cantilenis III. et IV. nulla relationis indicia inveni, nisi forte Sidonii dictum »caelum Musa dedit' (IV, 6) dignum est, quod revocetur ad Hor. carm. IV, 8, 29 »caelo Musa beat«.

Quam ob rem ad singula Sidonii enuntiata Horatianis similia, quae in ipso panegyrico Maioriani nobis occurrunt proferenda nos accingamus. Conferendae igitur sunt locutiones hae: Sid. carm. V, v. 11 »doles tristique repulsa« cum gemina versus clausula Horatiana »censum turpemque repulsam« (epist. I, 1, 43). Deinde Sid. v. 23 »fetamque lupam, quam fauce retecta« fortasse cum Hor. carm. III, 27, 3 sq. comparari potest; sed poetam Arvernum v. 92 sq. »circumlatrat ingens turba canum« e. q. s. non sine memoria Horatii carm. II, 16, v. 33 sqq. »te greges centum Siculaeque circummugiunt vaccae . . .« conscripsisse pro certo contenderim. Pergentes obiter perstringamus Sid. v. 116 »vir clarus et uno-contentus«, quocum dicto conferas Hor. epod. XIV, v. 15, »me libertina nec uno | contenta . .«, dein Sid. v. 118, »casibus in dubiis« cf. cum Hor. sat. II, 2, 108 »ad casus dubios«, sim. c. IV, 9, 36. — Sid. v. 258 sq »percussor enim si respuis esse | servus eris« componere iuvat cum simili verborum structura, quae legitur apud Horatium »sex septem milia desunt | plebs eris« (epist. I, 1, 58 sq.); similiter Hor. sat. II, 5; 19 sq. »ergo | pauper eris«. Conspicuum est verba illa, quae in examen vocantur, in initio versus posita esse. Sid. v. 275 sq. »compesce furentis impia vota animi« referendum erit ad Horatianum notissimum »ira furor brevis est: animum — compesce catena«. De Sidonii pronuntiatione »Si bibit Hispanus Gangen« (v. 285) vid. Geisler, diss. p. 16 et Bitschofsky, l. l. p. 25. Equidem

---

[1]) Huius generis sunt Sid. v. 381 clausula „nec tanta pericula solus" et Hor. ep. II, 1, 1 „et tanta negotia solus"; Sid. v. 398 sq. „quercusque curva tremit" et Hor. epod. X, v. 8 „frangit trementes ilices"

[2]) Cf. carm. V, 176 sq. (Blass p. 63).

Apollinarem hoc loco Vergilii potissimum vestigia persecutum esse opinor, quia poeta Lugdunensis (v. 280—289) eodem sermonis colore utitur atque Mantuanus Ecl. I, 59—63.[1]) Sidon. v. 300 sqq. »sic quondam consule curvo | .. fumum biberet palmata bubulci« ex memoria Horatii c. III, 8, 11 sq. »amphorae fumum bibere institutae | consule Tullo« fluxisse consentaneum est adfirmare; cf. Geisleri adnotatioem hunc ad locum in Luetjoh. edit. pag. 392. — Sidonii v. 347 sq. »post saecula tanta | ultorem mihi redde, precor, .. certe non sine sermonis Horatiani fuco conscriptum est. Conferas velim Hor. epist I, 7, 95 »obsecro et obtestor, vitae me redde priori«. Sidonius eundem hunc Flacci locum altero loco (in carm. XIII, v. 23 sq. »ut reddas patriam simulque vitam — te precatur«) aemulatus est, quo loco addito illius comprehensionis Sidonianae membra prorsus ex Horatio conquisita esse liquet. Sid. v. 366 dicens »terimus cur tempora verbis« nescio an respexerit sententiam illam, quam poeta Venusinus sublimiore usus orationis elatione scripsit »dum loquimur, fugerit aetas« (c. I, 11, 7 sq). — Sid. v. 399 »iam dociles exponit equos« collaturus sum cum Hor. epist. I, 2, 64 »fingit equum docilem«. — Confidentius Sid. v. 506 »ferro compescuit iras« ad eundem fontem (sc. Hor. epist. I, 2, 62 sq. »ira furor brevis est« ; hunc tu compesce catena) revocaverim. Sidonii versui 562 »qui dictat modo iura Getis« bene subicietur Hor. carm. III, 3, v. 44 »Roma ferox dare iura Medis«; adde quae supra adnotata sunt ad Sid. c. II, v. 203. — Sidonium versus 568 sq. »Quid laudare Petrum, parvis, temeraria Clio, viribus adgrederis?« ab Horatio, dico carm. III, 3, 70 sq. »quo Musa tendis? | desine pervicax — magna modis tenuare parvis« mutuatum esse mihi persuasi.[2]) Cf. Sid. c. XII, v. 20 et carm. II, v. 538.

In praefatione panegyrici dicti Avito Augusto (= Sidonii carm. VI.) tantum versus 21 sqq. »te propter cessit, manibus constructa tremendis ... dextris cecidere Gigantum, decidit et Rhoeti ...« aliqua ex parte adludunt ad carmen Sidonio penitus dilectum, dico c. IV, 2 v. 14 sqq. »per quos cecidere iusta | morte Centauri et cecidit tremendae | flamma Chimaerae«.

In ipso Aviti panegyrico haec mihi occurrerunt exempla, quae in censum venire possunt. Sidonius dicit in carm VII, v. 11 »comas duplicique accingere lauro«, cuius dictionis usum poeta ab Horatio petivisse mihi videtur, qui carm. III, 30 v. 16 simillimis utitur verbis: »lauro cinge volens, Melpomene, comam«; cf. Hor. c. III, 25, v. 20. — Sid. v. 19 »solus fovet omnia nutus« memoriam excitat Horatii carm. III, 1 v. 8. — Porro a Sidonio in pangendis versibus 23 sqq. »germane Tonantis — qui findere curru | suetus in attonita spargis cito terga serenum« observatam esse Horatii explicationem, quam reperimus in carm. I, 34, 6 sqq. »(Diespiter) nubila dividens | per purum tonantes egit equos volucremque currum« vix a vero abhorrere mihi videtur.[3]) Sidonii dictum »vae mihi, qualis eram!« (v. 79) non tam apte cum Hor. c. IV, 1, 3, quam cum Vergil. Aen. II, 274 (»ei mihi, qualis erat!«) compono, quia poeta Mantuanus similibus his verbis usus versum incohat. — Sidonii enuntiatum »pocula tingere venis« (v. 84) fortasse derivatum est ab Horat. carm. IV, 12 v. 23 »tingere poculis«. Dein

---

[1]) Prima ecloga Sidonium valde delectatum esse non est, quod moneam; cf. Geisleri diss. pag. 10.

[2]) Ex utriusque loci collatione adparet luculentam similitudinem exstare inter voces Horatianas „quo tendis — Musa pervicax - modis parvis" atque Sidonianas „quid adgrederis — Clio temeraria — viribus parvis", quod vix casui imputandum esse nemo negabit.

[3]) Sid. v. 34 sqq. cf. cum Hor epist. II, 1 v. 5 sqq.

Sidonii clausulam (v. 87) . . »longeque remotas« (sc. gentes) non sine causa referemus ad Hor. sat. I, 6, 18 . . »a vulgo longe longeque remotos«. Sid. v. 93 »trux Auguste, — dum classicus Actia miles | stagna quatit« propter verborum similitudinem fortasse pertinet ad Hor. epod. II, ɔ (nec excitatur classico miles truci); puto enim Sollium interdum singula vocabula — sententiis neutiquam cohaerentibus — congessisse ex iis carminibus Horatianis, quae tota imbibit mente; exemplum autem illud, quod hoc loco proposuimus, non plane ad persuadendum accomodatum est; sed confer ea, quae adscripsimus versui 563. — Brevissime composuisse iuvabit. Sid. v. 112 sq. »vix me mihi reddere-coepit« cum Hor. epist. I, 14, 1 »et mihi me reddentis agelli«, Sid. v. 114 sq. »formidata Sygambris« cum Hor. epist. II, 1 versu 256 »formidatam Parthis«. — Maiore cum fide adfirmem Sidonium scripsisse v. 129 »dirum Hannibalem« Horatii auctoritatem speetantem, quia tribus locis Flaccus epitheton »dirus« tribuit Hannibali: primum carm. II, 12, 2 dirum (var. lect. durum[1]) Hannibalem, deinde c. III, 6, 36 Hannibalemque dirum, denique c. IV, 4, 42 (dirus Afer). — Sid. v. 140 sq. »cui non dedit-natura parem« prope accedit ad Horatianum »cui — Veritas quando inveniet parem« (c. I, 24, 6). Sed Sidonii versum 147 »arida Mygdoniae damnarunt Gargara falces« viri docti vix recte cum Horat. carm. I, 31, 9 »premant Calenam falco quibus dedit Fortuna vitem« componere mihi videntur; cf. Geisler, diss. pag. 13. Nam nec magna inter utrumque locum intercedit similitudo neque altero loco Apollinaris huius carminis Horatiani habet rationem. — Sidonii verbis (v. 160 sq.) »se iactet origo, et priscum titulis numeret genus« apte subicientur Horatiana (c. I, 14, 12 sq) »filia nobilis iactes et genus et nomen«; cf. etiam Hor. epist. I, 6, 17 sq.

Sid. v. 174 »surgentes animi Musis formantur« compares cum Hor. c. III, 24, 52 sq. »tenerae mentes-formandae Musis.« Sid. v. 213 dictum »grande bonum« ea de causa componamus cum Hor. sat. II, 1, v. 49 »grande malum«, quia in nullo Flacci carmine maiore studio versabatur Sidonius, quam in alterius libri satira prima, quam etiam in versu, qui insequitur (214) »verba senis; ducis hinc« videtur adpellare; cf. enim Hor. sat. II, 1, 34: »vita senis; sequor hunc«. Mira sane haec est significatio, sed certe digna memoratu.[2]) Tali imitatione tota Sidonii ratio aemulandi clarissimis radiis illustratur. Sid. v. 221 sq. »res mira et digna relatu, — regi placuisse feroci« renovat recordationem notissimi versus Horatiani, qui est epist. I, 17, 35 »principibus placuisse viris non ultima laus est.« Sidonius dicit v. 250 »nomen inane« perinde ac Flaccus epist. I, 17, 41, ubi eandem versus clausulam conspicimus »nomen inane est«.

Sid. versus 460 sq. »optassem patriis securus in arvis | fovisse quietem« ad exemplum Horatiani illius »beatus ille, qui procul negotiis-paterna rura bobus exercet« (epod. II init.) conformatus esse potest.

Maiore autem cum fide comparabimus Sid. v. 526 sq. »quam partibus ambit, Tyrrheni Rhenique liquor — ab Hispano seclusam« cum Hor.

---

[1]) Mihi quidem scriptura „dirum" ideo praeferenda videtur, quod „dirus" tamquam epitheton perpetuum est, quod poeta Venusinus Hannibali attribuere consuerat; Cf. etiam P. Schwartz, de Juvenale Horatii imitatore pag. 28.

[2]) Cum minutas tales dictones certissima imitationis indicia praebere intellexissem, in in tertiam hanc quaestionis partem nonnulla recepi exempla, quae etiamsi non directae relationis speciem prae se ferant, ideo nolui neglegere, quia Sidonium occulte Horatium imitari mihi est persuasum. Augetur huius imitationis fides altero loco, qui est Sid. c. XVI, 111.

carm. III, 3, 46 »extendat oras, qua medius liquor | secernit Europen ab Afro«; imitationis huius cardo versatur in verbo »liquor«, quod his locis idem significat atque »mare« (»Tyrrheni liquor« = mare T., medius liquor = mare (s. fretum) Gaditanum) atque in dictionibus sat singularibus »ab Hispano seclusam« et »ab Afro secernit«. — Constructionem, quam reperis in carmine Horatiano Apollinari notissimo (c. IV, 4, 39 sq.) »dies pulcher tenebris fugatis« Sidonius videtur aemulatus esse in v. 551 »Cannas celebres Varrone fugato.« Conspicuus verborum concentus animadvertitur in Sidonii v. 563 sq »debitus ultor texit fumantes hostili strage favillas« et Hor. c. II, 6, 22 sq. »calentem debita sparges lacrima favillam«. Ac profecto hic locus maxime idoneus est, quo propria illa studiorum Sidonianorum ratio claram in lucem proferatur. Cf. Sid. v. 93 sq. huius carminis.

In perlustrandis carminibus, quae sequuntur, multo minora imitationis Sidonianae exempla investiganti se offerunt, quam in magnis illis panegyricis (II, V, VII) verborum granditate plenis

In octavo Sidonii carmine poeta Priscum adpellat (v. 1) »decus nostrum« sicut Horatius viros honoratos, imprimis Maecenatem, adpellat voce decoris velut in c. I, 1, 2 dulce decus meum; c. III, 16, 20 Maecenas equitum decus. Optime autem Sollius memoriae mandavit Horatianum illud »grande decus columenque rerum« (sc. Maecenas), quod bis imitatur in carmine XXIII: cf. v. 2 »Consenti, columen decusque morum« et v. 70 sq. decus Getarum, Romanae columen salusque gentis; simil. carm. XXIV, v. 34 sq.

Carmine nono perlustrato haec argumenta sane leviora habemus in promptu: Sid. v. 243 dicit »levem ruinam«, cui enuntiato adiungam Hor. c. II, 19, 15 »disiecta non levi ruina«; ita enim scribendum esse conicio, cum scriptura tradita »leni« corruptela laborare mihi videatur. Nam vocabulo »levis« oppositum est »asper« s. »fortis«, quod vix cum voce »ruina« potest coniungi; verbo »lenis« autem oppositum est »gravis«: cf. Hor. sat. II, 8 v. 54 »graves ruinas«, quo loco opinio nostra fulcitur.[1]) Certiora imitationis vestigia latere videntur in v. 291 sq. »spernens qui Ligurum solum et penates | mutato lare Gallias amasti«, quibus versibus adiungamus Hor. carm. I, 30, v. 2 »sperne[2]) dilectam Cypron« et carminis saecularis a Sidonio saepius petiti vers. 39 »mutare lares et urbem« sim. c. II, 16, 18 sq.

In cantilena decima Sollius bis Horatii vestigiis ingredi videtur. Dicit enim poeta (v. 5 sqq.) »ducebatque choros.. ipse socer; nympha quoque in thalamos veniens de gurgite nuda« e. q. s., quae verba significatione adpellant Hor. carm. IV, 7, 5 sq. »Gratia cum nymphis geminisque sororibus audet | ducere nuda choros«. Cf. carm. I, 4, v. 5 sq. — Deinde animo Sidonii ultimum huius carminis versum scribentis: »intonuit solita noster Apollo lyra« (v. 22) obversatum esse contendo Horatii locum, quem legimus in initio carm. IV, 15 »Phoebus volentem proelia me loqui | victas et urbes increpuit lyra«. Quae verba carminum Horatia-

---

[1]) Praeterea Sidonii hic locus magna sane cum voce suadet coniecturam „levi"; ceterum quisquis codices litteris minusculis conscriptos inspexerit, haud ignorabit litteram „v" eodem signo exprimi atque „u". Quae signa saepe haud facile distingui possunt a littera „n". Quorum ex signorum permutatione falsam hanc scripturam ortam esse puto.

[2]) Cf. Sid. ep, VII, 17, 2 v. 8; non exstat alter locus Horatianus, quo spernendi verbum idem sit atque „relinquere" s. „linquere".

norum interpretibus multum difficultatis paraverunt. Quaeritur enim, num vocabulum »lyra« cum verbo »increpuit« an cum enuntiato »proelia loqui« sit coniungendum. Nauckium secutus O. Weissenfels[1]) verbo »lyra« negat adiungendum esse »increpuit«. Equidem plerisque Horatii interpretibus adsentior, qui coniunctionem vocum »increpuit lyra« unice veram esse censent; primum enim talem verborum compositionem, qualis est »lyra loqui« non Latinam esse neque usquam Horatium tanta obscuritate atque audacia laborare adfirmo. Tum vero illo loco Sidoniano, qui Flacci verbis (»increpuit lyra«) recte coniungendis explicandisque exoptate inservit, omnis error tamquam stirpitus est extractus: illo enim loco de verborum coniunctione ambigi nequit ac certe Sollii comprehensione »intonuit Apollo lyra« nil aliud declaratur atque Horatiana »increpuit Phoebus lyra«.[2])

Jam vero transeamus ad epithalamium Ruricii et Hiberiae (= Sid carm. XI). Hic componi possunt Sid. v. 27 sq. »sed prominet alte | asper ab adsiduo lympharum verbere pumex« cum Hor. c. I, 11, 5 sq. »quae nunc oppositis pumicibus debilitat mare«, sed de certa imitatione hoc loco cogitare non possumus. Rectius componemus Sid. v. 50 »qui pulchrior ille est« cum Horatii carm. III, q. v. 21 sq. »pulchrior ille est« et Sid. v. 54 sq. »sed fulsit ut ille forte dies« cum. Hor. c. IV, 4, 39 sqq. »et pulcher ille dies.. qui primus risit« e. q. s. Cf. etiam Hor. c. IV, 5, 7 sqq. et quae adnotavimus ad Sid. c. VII, v. 554. — Porro in conglutinandis his verbis »nam census forma genusque conveniunt« (v. 91 sq) Apollinaris sese adplicavisse videtur ad exemplum Horatii (epist. I, 6, 37) »et genus et formam donat«, quia talium verborum coniunctiones in consuetudinem sermonis Horatiani cadunt; cf. etiam c. I, 14, 13; IV, 7, 23 sq.; sat. II, 5, 8. Fortasse etiam Venusini poetae aemulum prodit locutio Sidonii (v. 92) »tua fixit harundo, cui adiungimus Hor. sat. I, 8, 6 sq. »in vertice harundo terret fixa«. Enuntiatum, quod habet Sollius in v. 100 »qui pauper in auro« ideo apte comparabitur cum Hor. epist. II, 2 v. 12 »sum pauper in aere«, quoniam laudata haec verba apud utrumque poetam eandem versus sedem obtinent. Cf A. Zingerle, Zu spät. lat. Dicht. I. p. 13. Splendidum imitationis Horatianae exemplum exstat apud Sid. v. 114 sq. »hic redolet patulo Fortunae copia cornu | hics pargit calathis«, quam dicendi formam Flacco magnis in deliciis fuisse hisce perspicitur argumentis: carm. I, 17, 14 »hic tibi copia manabit ad plenum benigno — opulenta cornu«, carm. saec. v. 59 sq. »ad paretque (Virtus) beata pleno copia cornu«, epist. I, 12, 28 sq. (ubi similis clausula invenitur) »aurea fruges | Italiae pleno defudit Copia cornu.«

Cum in cantilena, quae inscribitur »Ad V. C. Catullinum« nullus insit locus, qui Horatii renovet memoriam, carmen ad imperatorem Maiorianum missum percenseamus. Praeter versus 3 sq., qui cum Hor. c. II, 13, 5 sq. conferendi sunt, componamus Sid. v. 5 »(ille) vix straverit hydram« cum Hor. ep. II, 1, 10 »diram qui contudit hydram«. De Sidonii versu 23 conf. ea, quae supra adscripta sunt carm. V. versui 348 sq. — Inter Sidonii enuntiationem (v. 33 sq.), »mandem perpetuis legenda fastis, quaecumque egregiis geris triumphis« atque comprehensionem Horatianam, quam scriptam legimus in carm. IV, 14 initio »tuas virtutes in aevum per titulos memoresque fastos aeternet« conspicuus intercedit consensus.

[1]) Cf Des Horaz Oden u Epoden erkl v. Nauck; vierzehnte Aufl. v. O. Weißenfels Leipzig. 1894. pag 238,

[2]) Dillenburger si minus urbane tamen acute: „Cave ne iungas „loqui lyra", quo perverius vix quidquam potest cogitari".

Etenim verborum rerumque conspiratio est manifesta, imitationisque fides eo augetur, quod uterque poeta verbis illis similibus adpellat imperatorem. Locutiones geminae leguntur apud Horatium carm. III, 17 v. 4 »per memores genus omne fastos« et Sidonium c. XXIII, v. 221 et ibid, 176 sq. (Consenti, patriae decus superbum fastis vivit avus paterque libris).

Jam vero praefationem epithalamii dicti Polemio et Araneolae strictim tangamus, ubi Apollinaris verba »dies — album quem picei lapillus Indi — signet« liceat comparare cum Hor. c. I, 36, 10 et cum Cat. c. 68 v. 148; 107 v. 6; Plin. nat. h. VII, 131.[1]) Deinde Geislero adstipulante Sidonii verbis (v. 27) »cecinit minore plectro« subiciam Hor. carm. IV, 2 versum 33 »concinet maiore plectro«; cf. etiam Hor. carm. II, 1, 40 (quaere modos leviore plectro), Sid. c. XVI, 70; Ps. Verg. Cul. 8; simil. Sid. IX, 228 »minore rythmo«.

Epithalamium Polemii et Araneolae perscrutatus (Sid. c. XV) hanc exemplorum, quae huc spectant, congessi lectionem. Primum in dubium potest vocari, num iure Geislerus (diss. p 18) cum Sid. v. 3 (Erechtheo Xanthum mutabat Hymetto) composuerit Hor. c. I, 17, 1 (amoenum . . Lucretilem mutat Lycaeo Faunus), quoniam Horatius saepissime hanc mutandi vocis constructionem usurpat velut in carm I, 29; 15, epod. IX, 28; sat. II, 7, 110 al. Quare reliquos locos, quos doctus ille vir addidit, neutiquam ad hoc Flacci carmen redire veri simile est. — Sidonium vers. 40 sq. »quid menstrua lunae | incrementa parent, totidem cur damna sequantur« haud immemorem Horatii c. IV, 7, 13, »damna tamen celeres reparant caelestia lunae« scripsisse opinor. Nec minus confidenter adfirmaverim Apollinarem, cum haec de Amphitryoniade narraret (v. 138 sq.) »vultuque dolentis extingui deflet — angues«, memorem se praestitisse carminis, quod animo mentique penitus mandaverat, dico carm. IV, 4, ubi legitur (v. 61 sq.) »non hydra — firmior vinci dolentem crevit in Herculem«. Sidonii dictum »sanctas leges« (v. 157) fortasse revocandum est ad Hor. sat. II, 1, 81, sanctarum inscitia legum«. Denique Flacci clausulas »compellans voce cuculum« (sat. I, 7, 31) et »correptus voce magistri« haud male concinere puto cum Sidonii clausula versus 192 »compellat voce magister«.

Jam ad Sidonii carmen sextum decimum accedamus, cuius index est »Eucharistou ad Faustum episcopum«. Quo in poemate nonnullae inveniuntur enuntiationes, quae ad Hor, epist. I, 16 pertinere videntur. Sidon v. 68 »da laudare, da solvere grates« comparamus cum. Hor. ep. I, 16 v. 61 »da mihi fallere, da iusto . . videri«, deinde Sid. v 120 »crura cui tenuat sub compede carcer« memoriam excitat Horatii epist. I, 16 v. 77 (in) »compedibus saevo te sub custode tenebo«; adde epod. IV v. 3 sq. »peruste crura dura compede«. — Praeterea Sidonius v. 13 (et fragilis valido latuit . .) haud scio an gnarus Horatii sat. II, 1 v. 77 sq. (fragili quaerens inlidere dentem offendet solido) scripserit, quoniam illam satiram saepissime significatione adpellat. Sidonii comprehensionem »solo venit victoria cantu« (v. 17) magna cum fide ex Horatii hortulo decerptam esse stuatuimus: vid. sat. I, 1, v. 8 »venit victoria laeta«. Neque vero minus confidenter Sollii dictum »per nostrum facinus« ab Horatio derivatum esse contendimus, qui dicit »per nostrum patimur scelus« (c. I, 3, 39). Denique non sine veri specie componemus Sid. v. 118 »tu sollicitus curas, qua . . . vivat« e q. s. cum Hor. carm. III. 29, 25 sq. »tu . . curas et urbi sollicitus times, quid . .« e. q. s.

---

[1]) Vid. Beckeri Charicles II. pag. 129.

De Sidonii carmine septimo supra copiosius disputavimus. Pauca sunt addenda. Sidonii vers. 2 »spiciferum proferat orbe caput« aperte consentit cum Hor. epod. II, v. 17 sq. »decorum mitibus pomis caput | Autumnus agris extulit«; adde sat. I, 8, 21 sq. »luna decorum | protulit os«. Multo minus ad hunc Sollii locum quadrant loci similes Ovidiani, qui mihi in mentem venerunt: Fast. V, 419 (ubi protulerit formosa — ora) et Trist. III, 10, 9 (cum tristis hiems protulit ora). Ceteroquin Apollinarem epodum alterum in scribendis illis versibus ante oculos habuisse proxime ad verum accedit propterea, quod hunc epodum unum identidem eum petivisse constat.[1]) Tota carminis huius Sidoniani vis totusque carminis eventus collocatus est in oppositionis, quae dicitur, figura; quae hisce verbis efficitur: »vina mihi non sunt« . . . et »tu tamen ut venias petimus« e. q. s. Quam ad dicendi rationem Sollius poetae Venusini auctoritate est impulsus, qui permulta carmina talem ad exitum perduxit; primum adferam Hor. c. 1, 20 v. 9 sq. (= carm. extr.) »domitam Caleno (prelo) tu bibes uvam; mea nec Falernae« cet. Equidem hanc exemplorum congeriem congessi, qua huius figurae usus illustratur: Hor. carm. II, 16 v. 33—40; carm. II, 17 v. 30—32; carm. III, 19 v. 25—28; carm. IV, 2 v. 53 sqq. sim. c I, 38. Eadem oppositione utitur Apollinaris in carm. II. v. 467—470; porro ibid. v. 473 sq. »tibi Cypria merces | fertur; . . ego pauper laudo Catones«, quibuscum verbis mire consentiunt Horatiana, quae legimus epist I, 10, 6 »tu nidum servas, ego laudo ruris« e. q. s.

In pusillis quattuor, quae sequuntur, carminibus (XVIII—XXI) venustatis ac dulcedinis nequaquam indigentibus perpauca mihi occurrerunt imitationis Sidonianae vestigia. In carmine »de balneis villae suae« inscripto unum repperi argumentum fortasse relatu dignum; Sidonius dicit v. 2 »sic, quod habes, placeat«, similiter Hor. sat. II, 6. 13 »si, quod adest, iuvat«. Vicesimum Sollii carmen ad exemplum carminis Horatiani, quod est lib. I, c. 30, compositum esse iudico. Utraque cantilena continet invitationem; aemulationis autem cardo versatur in consensu verborum »fervidus tecum puer properentque Nymphae« (Hor. c. I, 30, 5 sq.) et »sit tecum coniunx, duo nunc properate« (Sid. carm. laud. v. 3). Denique duos locos in medium proferamus, quos quamvis similes sint, tamen artius inter se cohaerere non licet adfirmare, quoniam similes dictiones apud ceteros poetas Romanos exstant; congruunt enim verba Sidonii (c. XXI, v. 4) »animae nostrae portio maior eras« cum Hor. carm. I, 3, 8 »serves animae dimidium meae«; sim. Hor. c. II, 17 v. 5 »te meae si partem animae rapit« . . Apud alios poetas Romanos legimus similia, velut apud Ovidium Trist. I, 2, 44; Trist. IV, 4, 72; apud Statium (cf. Bitschofsky l. l. p 39) al.[2])

Carmine vicesimo altero Sidonii perlustrato hosce locos prolaturi sumus: Sid. v. 14 »et tremulo non rumpant cantica saltu« cum Hor. c. IV, 13, 5 »et cantu tremulo-sollicitas«; Sid. v. 76 »resonantes murmure nervos« cum Hor. carm. III, 11, 3 sq. »resonare callida nervis«. Sid. v. 119 (celsae-turres) cum. Hor. c. II, 10, 10 sq. »celsae-turres«. Porro Sidonii verba »non illos machina muros | non aries, non alta strues . . . unquam quassare valebunt« (v. 121 sqq.) geminum sermonis colorem prae se ferunt atque Horatiana illa (c. III, 3, 1 sqq) »iustum . . virum non civium ardor-

---

[1]) Conferas velim ea, quae explicavimus hac in quaestione pag. X.

[2]) Inventa autem est haec enuntiatio a poetis Graecis; cf. E. Thallwitz, de Horatio, Graecorum imitatore, specimen prius. Doebelni 1874 pag. 23.

non vultus instantis tyranni mente quatit«. Denique Sid. v. 179 et 204 »et te porticus accipit ampla« satis habebo contulisse cum Hor. carm. II, 15, 16 et cum sat. I, 4, 133 sq. »aut me ampla porticus accepit«. In epistula, cui hoc carmen intexuit Apollinaris, componenda sunt verba »inter scyphos et amystidas« (cap 5) cum Horatianis (carm. I, 36, 14) »Threicia vincat amystide«; [1]) vid. Geisl. in Luetj. edit. pag. 412.

Indicia mutuationis Sidonianae ex carmine ad Consentium misso haec conquisivimus: Sid. versui 29 »usuram petimurque reddimusque« similitudo quaedam est cum Hor. art. poet. v. 11 »veniam petimusque damusque«; Sid. versum 32 »quid primum venerer colamque pro te« composuisse invabit cum Hor. c. I, 12, 13 »quid prius dicam solitis laudibus«, quamquam tales locutiones poetis Graecis sat familiares fuisse haud ignoramus. [2]) Sidonii versus 53 - 60 (non tu marmora . . non testudinis Indicae nitorem, non si quas eboris trabes refractis . ; sed per semirutas cet.) madere, ut ita dicam, mihi videntur sermone Horatiano cf. carm. II, 18 v. 1—10 (non ebur neque aureum mea renidet in domo lacunar, non trabes . . premunt columnas ultima recisas Africa neque . .; at fides cet). Porro quasi praeteriens colla urus sum Sid. v. 209 sq cum Hor. ep. I, 2, 67 sq., Sid. v. 245 sq. cum Hor. carm. I. 35, 29 sq. et c. II 6, 1 sq., Sid v. 265 (chorus omnis histrionum) cum Hor. epist. II, 2, 77 (scriptorum chorus omnis), Sid. v 286 sq. »ephebum aptans ad cyathos« cum Hor. carm. I, 29, 7 sq. puer... ad cyathum statuetur«; cf. Iuven. sat. XIII, 43. Sidonii verba, quae leguntur v. 419 sq. »per procellas | quantum nec roboant volutae ab Austro« . . memoriam revocant Horatii sat. II, 8, 56. Denique Sidonius versus 479 sq. officiositas Marini, cuius sedulitas« . . ideo non sine reminiscentia Horatii (epist. I, 7, 8 »officiosaque sedulitas et« . .) conscripsisse videtur, quia altero quoque loco similiter dicit cf. Sid. epist. II, 12, 3 »seduli languidos multos officiosissime occidunt«; parum accurate alterum hunc locum Geislerus (in Luetj. edit pag. 359) proposuit.

In ultimo Sollii carmine, cuius index est »propempticon ad libellum« praeter imitationes supra allatas inveni nullas Carmen ipsum compar est epistularum prioris libri Horatianarum ultimae. Comparari possunt inter se hi loci: Sid. v. 22 (flavum-Triobrem) cum Hor. carm. I, 8, 8 (flavum Tiberim) sim. c. I, 2, 13; II, 3, 18 et Verg. Aen. VII, 31; dein Sid. v. 70 sq. cum Hor. epod. II, 19 sq. — Item Flacci locos fere omnes, quos Geislerus in edit. Luetj. p. 384—416 cum similibus Sidonii enuntiatis composuit, litteratum illum virum non imitationis sed comparationis gratia attulisse arbitramur. Etenim de manifesta aemulatione vix cogitari potest, cum hosce legimus locos:

Sid. c. II, 415 malobathrum — Hor. c. II, 7, 7 sq. nitentes malobathro Syrio capillos.
Sid. c. II, 466 male credula — Hor. c. I, 11, 8 minimum credula.
Sid. c. V, 45 Arcas equos, Epirus equas — Hor. c. I, 7, 91 aptum . . . equis Argos.

[1]) Vox enim amystidis — si Forcellinii thesauro confidere licet — tantum duobus illis quos commemoravimus, locis reperitur.

[2]) Cf. Arati illud (sim. Quintil. X, 1, 46), quod imitatur Vergilius Buc. III, 60; Ovid. Fast V, 111, alii. Sidonius, ut hoc addam, litteris Graecis imbutus esse videtur; legit enim „Epitrepontem Menandri", quod ipse dicit epist IV, 12, 1; praeterea respicias verba, quae leguntur epist. II, 2, 8 „piscina forinsecus seu, si graecari mavis, baptisterium" . . . vid. etiam C. Purgold, Archaeol. Bemerk. zu Claud. u. Sidon. pag. 109.

Sid. V, 479 Scythicae potor Tanaiticus undae — Hor. c. II, 20, v. 20 Rhodanique potor.

Sid. c. IX. 175 Thebis Euhion — Hor. c. I, 7, 3 sq. Baccho Thebas . . insignes.

Sid c. IX, 214 laesi Archilochi feros iambos cum Hor. art. p. 79.

Sid. c. XXIII, v. 470 sq. »nam numquam metuis loqui quod aequum est, si te Sulla premat ferusque Carbo« — et Hor. c III, 3, 3 sq. non vultus instantis tyranni e. q s.

Ne quid desideretur, nunc illos carminum Sidonianorum locos a Geislero prolatos, quorum supra non habuimus rationem, subiungamus. Sunt autem loci tres, qui certioris relationis speciem prae se ferre videntur: Sid. carm. VI v. 24 sqq. cum Hor. carm. III, 4 v. 53 sqq. composuit doctus ille vir in Luetj. edit. pag. 394, Sid. c. VII v. 261 sq. cum Hor. carm. II, 1, 29 sq. ibid. pag. 397, Sid. c. XXIII v. 56 (cf. Sid. epist III, 13, 6) cum Horat. epod. XII, v. 1 »nigris - barris« ibid. pag 412 et in diss. pag. 19. Ultimi sane loci probabilitas in dubio poni potest.[1])

---

[1]) Hoc loco duo imitationis argumenta addere liceat, quae in Sidonii carmine septimo leguntur; primum Apollinarem verba (v. 120 sqq.) „assurgunt proceres, Mars, Cypris, Romulus . . ., iam mitior ipsa flectitur atque iras veteres Saturnia donat" ad exemplum Horatii direxisse suspicor, qui Iunonem haec dicentem inducit (c. III, 30 sqq.) „protinus et graves iras et invisum nepotem (= Romulum) . . Marti redonabo". Deinde Sidonii versus 303 sqq. „rapidam trux asperat iram | victor; quod sensit Scythicum pro moenibus hostem" ., sine dubio deprompti sunt ab Horatio cf. carm. III, 2 v. 6 — 12.

IV.

Jam vero disputatione, quatenus Apollinaris voces locutionesve e carminibus Venusinis petiverit, ad finem perducta inquiramus in similitudines, quae inter versuum utriusque poetae formas structurasque intercedunt. Namque multum id ad Sidonii imitationem Horatianam valere videtur, quo pacto a poeta illo formas magis quam res colente haec administrata sit provincia. Nihilo vero setius nemo virorum doctorum huius rei rationem habuit. Quapropter non alienum videtur versuum singulorum clausulas atque initia versuumque proferre formas, quas Sollium Flacco debere probabile est. — Nimirum si omnia huius generis argumenta respicimus, interdum distingui nequit, utrum consulto quaedam ab Horatio mutuatus sit Apollinaris an illa deprompserit ex supellectili a poetis vetustioribus conquisita. Accedit, quod lingua ipsa Latina talis est, qualis naturaliter in quosdam versus exitus inclinet. Ceterum de clausularum illarum vi atque origine plane consentio cum Antonio Zingerleo, qui magna cum diligentia subtilique iudicio hac de re verba fecit in libello bonae frugis pleno »Zu späteren lateinischen Dichtern« I, p. 44—103 »Wiederholungen im lateinischen Hexameterschlusse und deren Entstehung«.[1]) Cum litteratus ille vir multis de causis huic rei, quae satis oblectationis praebet, magnum momentum adsignaret, ea quoque ex causa hoc caput quaestioni meae intexui, ut aliquid ex mea quoque parte adferrem ad examinandas rationes, quae inter omnes fere epicos Romanorum poetas exstent in rebus imprimis ad formam pertinentibus. Itaque uti omnia, quae huc spectant, argumenta in uno conspectu ponam, illa quoque exempla proponere constitui, quae partibus anterioribus in transitu attigi. In his nonnullae versuum particulae leguntur, quas sine ulla controversia ex poesi Horatiana Apollinaris decerpsit; quas prioribus collocavi locis.

a) Versuum clausulae.

Sid. c. II, 204 innumerabilibus legionibus imperitabant
Hor. sat. I, 6, 4 . . qui magnis legionibus imperitarent.[2])

Sid. c. II, 310 . . . non est modo dicere tempus.
Hor. sat. II, 4, 1 . . . non est mihi tempus aventi.

Sid. c. II, 357 . . .; quem cur nimis oderit, audi.
Hor. ep. I, 2, 5 . ., nisi quid te detinet, audi.

[1]) Cf. eiusdem scriptoris „Ovidius u. s. Verhältnis" cet. III, p. 84; A. Viertel, „de versibus poetarum Latinorum spondiacis" in Jahnii annal. 1863 p. 801 sqq. Praeterea cf. E. Plew in Jahnii annal. 1866 p. 631 sqq. et Luc. Muelleri de re metrica libros septem ed. alt. Petropoli 1894.

[2]) Variae codicum deteriorum lectiones sunt: „imperitarint" et imperitarunt; sed scriptura „imperitarent" legibus grammaticis postulatur; „imperitarunt" lectio est facillima.

Sid. c. II, 371 . . per quem tellure marique.
Hor. sat. II, 5, 63 . . . . . tellure marique.

Sid. c. II, 381 . . . || nec tanta pericula solus.
Hor. ep. II, 1, 1 . . . || et tanta negotia solus.[1])

Sid. c. II, 434 . . . ac pone tribunal.
Hor. ep. I, 16, 57 . . . et omne tribunal.[2])

Sid. c. V, 11 . . . || doles tristique repulsa.
Hor. ep. I, 1, 43 . . . || censum turpemque repulsam.

Sid. c. V, 264
si sanctum sub Syrte gemit, si denique verum.
Hor. epist. I, 13, 3
si validus, si laetus erit, si denique poscet.[3])

Sid. c. V, 320 . . || quisquis sic incipit: olim.
Hor. sat. II, 6, 78 . . || si quis — — ◡ ◡ — ◡
ibid. 79 . . . . . sic incipit: olim.[4])

Sid. V, 388 . . . || Campanam flantibus Austris.
Hor. sat. I, 1, 6 . . . || navem iactantibus Austris.

Sid. VII, 87 . . duce te longeque remotas.
Hor. sat. I, 6, 18 . . longe longeque remotos.[5])

Sid. VII, 235 . . . . . vincitur illic.
Hor. sat. I, 9, 48 . . . vivitur illic.[6])

Sid. VII, 250 . . . fallentes nomen inane.
Hor. ep. I, 17, 41 . . aut virtus nomen inane est.

Sid. VII, 454 . . vestes ac sordida macro.
Hor. ep. I, 5, 22 . . toral ne sordida mappa.

Sid. VII, 492 . . mihi nomine inuras.
Hor. sat. I, 9, 3 . . notus mihi nomine tantum.

Sid. XI, v. 100 . . Midam, qui pauper in auro.
Hor. ep. II, 2, 12 . . meo sum pauper in aere.

Sid. XI, 114
hic redolet patulo Fortunae Copia cornu.
Hor. ep. I, 12, 29 . . pleno defudit Copia cornu.

---

1) Conspicuum est Sidonium hoc loco alteroque, quem supra laudavimus (sat. II, 4, 1), carminum quorundam Horatianorum initia aemulari; quae res nemini mira videbitur; quae facilius memoria tenentur quam prima aut extrema carminis verba?

2) Concentus litterarum — aut vocalium aut consonantium — in percensendis his versuum similitudinibus nequaquam spernendus est; praeter hunc locum (pone — omne) confer hosce locos, quos intra integros proponemus: „pecorosi — Epicuri", „Syrtes — desert(a)", „portet — mordent" al.

3) Clausulae consimiles exstant: Sid. c. II, 280; V. 296; VII, 129, XV, 103 al.

4) Rarus sane Horatiique proprius exitus huius versus; cf. sat. I, 9, 21.

5) Geislerus in errore versatur, qui hanc Sollii locutionem composuit cum verbis Vergilianis „penitusque repostas"; quo argumento una cum aliis doctus ille vir (diss. pag. 10) innixus illustrare studet Sidonium Vergilii verba consulto immutasse; sed Apollinaris hoc loco sine dubio illam usurpavit Horatii satiram, dico lib. I, sat. 6, quam identidem adpellat significatione; Horatius autem, Lucretii aemulus (cf. A. Weingärtner, de Horatio Lucretii imitatore, Halae. 1874), haec verba Lucretio debet: cf. Lucr. II, 106, III, 69.

6) Var. lect. „vivimus".

Sid. XV, 100
quod sapiunt veroque valent discernere falsum.
Hor. ep. I, 10, 29
quam qui non poterit vero distinguere falsum.
imil. H› r. epist. II, 2, 45.

Sid. XV, 125 — ◡ ◡ — — — || eliminat undique virtus.
Hor. sat. II, 1, 20 — ◡ ◡ — — — ◡ || recalcitrat undique tutus.

Sid. XV, 192 — — — —tali— || compellat voce magister.
Hor. sat. I, 7, 31 — — — magna— || compellans voce cuculum.
Hor. sat. II, 3, 257 — — — — — || correptus voce magistri.

Sid. XVI, 17 . . . . . venit victoria cantu.
Hor. sat. I, 1, 8 . . . venit victoria laeta.

Sid. XVI, 18 . . . || pecorosi de grege Jesse.
Hor. ep. I, 4, 16 . . . || Epicuri de grege porcus.

Sid. XVI, 91 — — — — — Syrtes et inhospita tesqua.
Hor. ep. I, 14, 19 — — — -- — deserta et inhospita tesqua

Sid. XVI, 97 . . . || — — quam frigora portet.
Hor. sat. II, 6, 45 . . || — — iam frigora mordent.

Sid. c. XXII, 172 — — — ◡ ◡ — — — colit Apulus acer.
Hor. sat. I, 1, 58 — — — ◡ ◡ — — — ferat Aufidus acer.

Sid. c. XXII, 206 . . . silva columnis.
Hor. ep. I, 10, 22 . . . silva columnas.

Jam sequuntur clausulae, quibus apud utrumque poetam aut versus sapphici aut versus generis diversi terminantur:

Sid. ep. IX, 16, 3 v. 79 — ◡ — — — mihi per labores.
Hor. carm. IV, 2 v. 29 — ◡ — — — thyma per laborem;
Sid. ibid. v. 21 — ◡ indulsit populus Quirini.
Hor. carm. I, 2, 46 — ◡ intersis populo Quirini.

Sid. c. II, 36 . . . . matris ab alvo.
Hor. c. IV, 6 v. 20 . . matris in alvo.
Sid. carm. II. v. 529 . . misero tumultu.
Hor. carm. II, 16, v. 10 . . miseros tumultus.

Sid. carm. XI, v. 114 . . . Copia cornu.
Hor. carm. saec. 60 Copia cornu.

Praeterea conferantur hi versus: Sid. c. II, 12 cum Hor. c. III, 27; 12. Sid. c. II, 459 cum Hor. c. II, 2, 12; Sid. VI, v. 9 cum Hor. c. I, 5, 3. Sid. IX, v. 111 cum Hor. art. poet. v. 91.

Porro adlaturus sum versuum heroorum clausulas generis levioris, quae in transcursu se mihi obtulerunt. Quae utrum adstrictiore vinculo inter se coniunctae essent necne in medio reliqui; sunt vero hae:

Sid. c. II, 90 et Hor. art. p. 113; Sid. II, 186 et Hor. sat. II, 7, 107; Sid. c. II, 285 et Hor. sat. II, 6, 17; Sid. II, 295 (obruis atque) et Hor, epist. II, 2, 115 eruet atque); Sid. II, 416 et Hor. art. p. 115. Sid. V, 256 et Hor. c. I, 7, 20, Sid. V, 352 et Hor. sat. I, 9, 3. Sid. V, 516 (quod colle

supino) et Hor. ep. II, 2 v. 68;[1]) Sid. V, 517 et Hor. epist. I, 4, 4; — Sid. VII, 86 et Hor. c. I, 7, 19;[2]) Sid. VII, 187 et Hor. sat. II, 7, 42; Sid. VII, 191 (improbus Umber) et Hor. sat. II, 6, 29 (improbus urget); Sid. VII, v. 203 (quis doctior isto) et. Hor. sat. II, 7, 42 (quid, stultior ipso); Sid. VII, 257 et Hor. art. p. v. 413 (sudavit et alsit), Sid. VII, 398 et Hor. epist. I, 2, 7; Sid. c. VII, 426 (continet iras) et Hor. ep. I, 2, 8 (continet aestus [=iras]); Sid VII, v. 433 et Hor. ep I, 2, 42. — Sid. c. X, 3 (satis ampla supellex) et Hor. ep. I, 5, 7; cf. Hor. sat. I, 6, 118; — Sid. c. XI, 79 et Hor. sat. I, 6, 131. — Sid. c. XV, 75 et Hor. ep. II, 2, 176; Sid. XV, 107 et Hor. sat. II, 2, 1; Sid. ib. 121 et Hor. ep. II, 1, 2. — Sid. XXII, 122 et Hor. epist. I, 18, 84; Sidon. ib. 210 et Hor. epist. I, 1, 91 (mutat cenacula, lectos). Sid. ib. v. 218 et Hor. sat. I, 3, 68.

Deinde nonnulla versuum initia[3]) congessi, quibus Sidonii studia Horatiana illustrari possunt; haec in promptu habeo:

b) Versuum initia.

Sid. c. II, 139 festina tractare manu || — — ⏑ ⏑ — ⏑
Hor. art p. v. 269 nocturna versate manu || — — ⏑ ⏑ — ⏑

Sid. c. II, v. 288 i nunc et veteris || — — — — ⏑ ⏑ — ⏑
Hor. ep. II, 2, 76 i nunc et tecum || — — ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑

Sid. c. II, 416 parturiunt campi || — — — — ⏑ ⏑ — ⏑
Hor. art. p. 139 parturiunt montes || — — — — ⏑ ⏑ — ⏑[4])

Sid. c. II, 422 sub domina praesente (||)
Hor. ep. I, 2, 25 sub domina meretrice ||.

Sid. c. V, 295 fatorum currente rota, || quo — ⏑ ⏑ — ⏑
Hor. art. p. 22 institui; currente rota || cur — ⏑ ⏑ — ⏑[5])

Sid. c V, 539 dicere de scopulo || — — — — ⏑ ⏑ — ⏑
Hor. sat. I, 6, 39 deicere de saxo || — — — — ⏑ ⏑ — ⏑

Sid. c. VII, 214 verba senis . ducis hinc ||
Sid. c. XVI, 111 vita senis
Hor. sat. II, 1, 34 vita senis . sequor hunc || [6])

Certe non nihil adfert ad argumentationem nostram, quod Apollinaris ex iis potissimum carminibus versuum particulas in usum suum transtulit, quae aemulum illum tamquam in sinu gestasse supra declarare conati sumus.

---

[1]) Cf. Sid. carm. VII, v. 440 et v. 447.

[2]) Adde Sid. carm. VII, 243 (arma-sordentia castris).

[3]) Cf. Ant. Zingerle, „Ovid u. s. Verh.“ p. 29; eiusdemque viri litterati libellum „Kleine philol. Abhandl.“ II. p. 24.

[4]) Codd. plerique exhibent „parturient“; Cf. O. Keller, epileg. ad Hor. pag. 748 — Tempus praesens multo efficacius fortuisque.

[5]) Similiter Sid. VII, 350 „ad nomen currente Geta || et Sid, ib. 896 „in flumen currente mari ||.

[6]) Praeterea comparari possunt Sid. c. V, 203 cum Hor. sat. II, 1, 24, (sat. I, 1, 63); Sid. VI, 35 (sq.) cum Hor. art. p. 131; Sid. VII v. 181 et 184 cum Hor. sat I, 9 v. 3 et 4; Sid. VII, 271 (multorum — unus) et Hor. sat. I, 9, 71 sq (unus | multorum); Sid. VII, 377 cum Hor. sat. I, 1 v. 106 et sat. II, 6, 96. Exemplorum horum minus gravium numerus amplificari potest.

In variis sedibus nonnullas locutiones positas videmus, quales sunt:

Sid. c. II, 301 . . ius vitae fine supremo, |
Hor. ep. II, 1, 12 . . invidiam supremo fine domari | .

Sid. c. VII, 112 . . tranquillus vix me mihi reddere Nerva |
Hor. ep. I, 14, 1 . . mihi me reddentis agelli | .

Sid. VII, 573 . . . datur locus, hora diesque |
Hor. sat. I, 4, 15 . . . detur nobis locus, hora | .

His adde Sid. VII, 213 (cf. Hor. sat. II, 1, 49); Sid. VII, 429 (Hor. sat I, 9, 3); Sid. XV, 144 (Hor. epist. I, 18, 108).

Denique fructus si non uberrimi, tamen haud spernendi redundant ex comparatione formarum quarundam metricarum. Namque accuratius intuentem vix praeterire potest similitudo, quae inter hasce versuum heroorum structuras intercedit:

Sid. carm. II, 547
perge, pater patriae, felix atque omine fausto
Hor. ep. II, 2, 37
i, bone, quo virtus tua te vocat, i pede fausto.

Sid. c VII, v. 532
quam nos per varios dudum fortuna labores
Hor. carm. I, 7, 25
quo nos cumque feret melior fortuna parente.

Sid. c. XI, v. 79
et si iudicio forsan mihi quarta fuisset
Hor. sat. I, 6 v. 130 . . . . . ac si |
quaestor avus pater atque meus patruusque fuisset.[1])

Sid. c. XV, 192
harentem tali compellat voce magister.
Hor. sat. I, 7 v. 31
cessisset magna compellans voce cuculum.

Praeterea consimilis versus structura dispicitur his locis:

Sid. c. II, 139 et Hor. art. p. 269; Sid. c. II, 416 et Hor. art. p. 115; Sid. c. V, 295 et Hor. art. p. 22; Sid. c. VII, 348 et Hor. ep. I, 5, 17; Sid. c. V. 433 et Hor. ep. I, 2, 42; Sid. c. XV. 144 et Hor. ep. I, 18, 108. Sid. c. XXII, 122 et Hor. ep. I, 18, 84.[2]) —

---

[1]) Mirum sane, ne dicam prodigiosum aemulationis Sidonianae documentum („et si quarta fuisset" ∾ „ac si quaestor fuisset"); geminum exemplum, quod ad eandem Horatii satiram (v. 85 sq.) Sollio bene notam spectat, invenimus apud Sidonium carm. V, v. 122 sq Cf. huius diputationis pag. 7.

[2]) Ad Flacci epod. 13 hacc revocanda esse duco: Sid. c. XIX, 3 „et licet hoc solo mergatis liquore" cf. epod. 13, 5; Sid. c. XXII, 228 „cetera dives habe; colles tua iura tremiscant; cf. Hor. epod. 13, 7, cetera mitte loqui; deus" cet. Sed fortasse adludit poeta ad Horatianum illud (c. I, 9. 9) „permitte divis cetera."

V.

In ultima hac quaestionis parte congestum eorum locorum propositurus sum, qui ad epistulas Apollinaris Sidonii pertinent. In epistulis Sidonianis, quamvis multo maius quam carmina spatium expleant, tamen diligenti lectione repetita pauci mihi occurrerunt loci, qui non omnes directae relationis indicia prae se ferunt. Neque profecto id mirum: Poetam enim poetae auctoritatem in poematis potissimum spectare probabile videtur.

Materiam igitur, quae mihi praesto est, in duas divido partes. Priore parte de nonnullis locis seu ab arte critica seu ab imitationis ratione memorabilibus disputabo, posteriore reliquorum locorum, qui ad Flacci dicendi genus propius accedunt, proponam conspectum.

Sidonio in quinta libri primi epistula perscribenda Horatii iter Brundisinum (sat. I, 5) ante oculos obversatum esse non sine causa suspicatur Herm. Paldamus [1]), qui opinionem suam nullis argumentis fulsit. Cui adsensus Mart. Hertz [2]) censet huic epistulae ab Apollinare consulto inter epistulas eundem locum adsignatum esse, quem satira illa inter sermones Horatianos obtinet. E. Geislerus [3]), Hertzii discipulus, hac de re cum magistro prorsus consentit. Equidem doctis his viris Horatii verbis usus repondeo: Credat haec Iudaeus Apella, non ego. Spinosior certe quam verior haec sententia est. Nam Sidonius, si re vera ea adfectavisset, in hac epistula multo manifestiorem sese Flacci aemulum praebuisset. Hoc unum concedo — Paldamo adsensus — hanc Sidonii epistulam sermonis Horatiani fuco atque colore esse distinctam [4]), sed ne unus quidem locus arte cohaeret cum satira illa Horatiana. Vinculo sane adstrictiore continentur Sid. epist. I, 8, 2: »ita tamen, quod te Ravennae felicius exulantem auribus Padano culice perfossis ranarum loquax turba circumsilit; in qua palude« etc. et Hor. sat. I, 5, 14 sq. mali culices ranaeque palustres | avertunt somnos.

Deinde nonnullorum locorum rationem sum habiturus, ex quibus utilitas quaedam ab re critica notabilis efflorescere videtur.

Permultum difficultatis locus corrupte traditus Horatii interpretibus fecit, qui legitur apud Horatium carm. I, 32, 15 sq., ubi vates Venusinus lyram hac voce compellat: »dulce lenimen mihi cumque salve | rite vocanti«. — Critici quidam (velut Duentzer, Ritter) huic loco sanationis certe indigenti

---

1) de imitatione Horatii, Gryphisvald. 1851. p. 20

2) analect. crit. ad carm. Hor. historiam. V. pag. 17.

3) diss. pag. 12.

4) Conferri possunt: Horatiani sermonis initium (egressum me accepit ,.) cum Sid. capitis alterius initio (egresso mihi .. usui fuit); Hor. l. l v. 88 cum Sid. cap. 6 extrem (in medio undarum sitiebamus, quia nusquam vel aquaeductuum liquor integer vel cisterna defaecabilis vel fons inriguus vel puteus inlimis); adde Hor. v. 7. — Sidonius hoc loco imitatorum more ex pr[illegible] verbis permulta fecit.

medellam ita parare temptarunt, ut scriberent: »mihicumque«. At in totis litteris Latinis locus inveniri nequit ullus, quo illud »cumque« cum pronomine personali coniunctum legatur.[1]) Quae cum ita sint, traditam hanc lectionem neutiquam retineri posse liquet. Quocirca recte egerunt ii, qui scripturam probabilem coniectura sequi studebant velut Herwerden (mihi tu usque), Lachmann (medicumque) alii. Mihi Madvigii, ingeniosi illius coniecturarum inventoris, opinio unice vera videtur, qui haec proponit :[2])

Puto Horatium scripsisse: »mihi iunge salve | rite vocanti«. — Mutuo sibi »salve« reddi a testudine vult, ut canendi socias partes tueantur. Quam Madvigii coniecturam his confirmaverim argumentis: Primum litterae i et c atque g et q in libris manu scriptis haud raro confunduntur; accedit, quod codd. nonnulli »cunque« exhibent. Deinde hunc locum Horatianum Sollii animo obversatum esse contendo, cum haec scriberet (epist VII, 12, 4): »tuum salve.. iam nominibus adiungi«. Quo loco Sidoniano haud male fulcitur Madvigii coniectura, quam O. Kellerum non respexisse neque ullum Horatii editorem in textum recepisse miramur.[3])

Nullam in epistulis Apollinaris saepius imitando expressit Horatii satiram, quam alterius libri primam. Legimus apud Sidon. epist. IV, 24, 6 »si quid adversum cesserit«, quae verba memoriam certe aliquam Horatii sat. II, 1, 31 instaurant, ubi hoc scriptum videmus: »neque si male cesserat«. Codices autem optimae notae lectionem »gesserat« praebent, quam quod obiectum aliquod desideratur, neglegendam esse constat. Cf. O. Keller, epileg. z. H. pag. 515, ubi ad sripfuram »eesserat« stabiliendam litteratus ille vir duos proponit locos (Gell IV, 5, 4 et Curt. VII, 4, 16) his Sidonianis impares.

Versus Horatianos, qui exstant in epist. lib. I, 7 fine (96—99) Mich. Petschenig in editione sua[4]) delevit ut male adsutos sensuque claudicantes Idem v. 96 initium »qui simul[5]) aspexit« ex v. 90 »quem simul aspexit« petitum esse suspicatur. Equidem quamvis initium versus 96 temporum iniura graviter violatum esse censeam, tamen tres illos versus nequaquam expungendos esse mihi persuasi. Poeta enim Venusinus fabularum scriptores subsecutus tribus his versibus complectitur praeceptum, quod ex ampla narratione, quae praecedit (v. 46—96), legentibus derivandum est. Huc accedit, quod locus Sidonianus, qui legitur in epist. VII, 14, 5:

Cui pro suo modulo comparari . .

probabilem sane imitationis Horatianae suspicionem movebit, si ultimum huius epistulae Horatianae versum, qui sic incohat: »metiri se quemque suo modulo« cum poetae Arverni locutione composueris. Videmus igitur Sidonium, scriptorem huius epistulae Horatianae sat peritum, illius carminis finem non praeterisse.

---

[1]) Nescimus etiam vocis „cumque“ notionem. Cf. Madvigii advers. crit. vol II. Hauniae. 1873. pag. 54, ibique adnot. 1.

[2]) Adversar. critic. vol. II, pag. 54.

[3]) Ceterum hic locus ita restitutus apte congruit cum versibus quibusdam Sapphus, quam poetriam Flaccum aemulatum esse constat. (Arnold-Fries, die griechischen Studien des Horaz. Halle 1891 pag. 92 sq.) dico Sapph. ad Venerem v. 25 sqq.

[4]) vid. praef. pag. VII.

[5]) ita codd.; editores plerique „semel“ fortasse recte scripserunt. Sed num illud „aspexit“ genuina forma sit, dubito.

Sequitur conspectus reliquorum locorum similium observato epistularum Sidonianarum ordine compositus. Locos illos, quos praeter me[6]) vel potius ante me Geislerus aliive viri litterati investigaverunt, notat asteriscus.

Sid. ep. I, 2, 4 eliminatur sicque pro foribus — exclusa.	**Hor.** ep. I, 5 v. 25 sit qui dicta foras eliminet.
Sid. ep. I, 5, 2 sic Alpium iugis.	**Hor.** epod. I, 11 per Alpium iuga.
***Sid.** ep. I, 5, 7 extr. Metaurus . . decoloratis gurgitibus.	**Hor.** c. II, 1, 33 sq. gurges . . decoloravere (vid. Keller, epileg. ad. H. pag. 122).
Sid. ep. I, 5, 8 penitissimum cordis medullarumque secretum.	**Hor.** epist. I, 10, 18 propiusve medullis.[2])
Sid. ep. I, 7, 3 pervenit Romam, ilico tumens, quod prospero cursu procellosum Tusciae litus enavigasset . .	**Hor.** carm. saec. 37 sqq. Roma si vestrum est opus Iliaeque litus Etruscum tenuere turmae, iussa pars mutare lares et urbem sospite cursu.
Sid. ep. I, 7, 12 serpentis Epidauri.	Hor. sat. I, 3, 27 serpens Epidaurius.
Sid. ep. I, 7, 12 et laquum per horas horrescens.	Hor. c. II, 13, 13 numquam homini satis cautum est per horas; navita Bosporum perhorrescit cet.
Sid. ep. I, 9, 5 extr. Augusti consulis mox futuri repetendum fastis nomen.	Hor. carm. IV, 14, 3 sqq. Auguste, virtutes in aevum per titulos memoresque fastos aeternet.[3])
Sid. I, 11, 3 solvitur in risum.	Hor. sat. II, 1, 86 solventur risu tabulae.
Sid. I, 11, 4 morsum dentis igniti avidius impresserat puer.	Hor. c. I, 13, 11 sq. puer furens impressit memorem dente labris notam.
Sid. ep. II, 2, 3 agri, in quem vocaris, situs accipe.[4])	Hor. c. IV, 11, 13 ut tamen noris, quibus (= in quas) advoceris, gaudiis.
Sid. ep. II, 2, 2 extr. solidus dies.	Hor. carm. I, 1, 20 solido die.
Sid. ep. II, 14 oscines corvos voce triplicata surgentis Aurorae facem consultandes.	Hor. c. III, 27, 11 sq. oscinem corvum prece suscitabo | solis ab ortu; cf. Hor. c. IV, 6, 38 sq. canentes rite crescentem face Noctilucam.

[1]) Cum materiam huius quaestiunculae congererem, priorum virorum libros non respexi; cum illos respexissem, vix unum locum repperi, quem non ipse notassem; sed accedebant alii pluresque.

[2]) Locus Sidonianus aptus est, quo Flacci verba, de quorum vi viri docti dissentiunt recte enodentur; Cf. Kochii lex. Horat.[3] pag. 304.

[3]) Cf. huius diputationis pagg. 52 et 53 his adde locum, quem Ungerus (emend. Hor. p. 3) cum Flacci versibus composuit: Sid. IV, 1, 5 extr. „in aevum perennabuntur“.

[4]) Descriptio, quae sequitur, Sidoniana permultum similitudinis habet cum Hor. epist. I, ‘

Sid. ep. II, 2, 15 ingentes tiliae duae conexis frondibus . . unam umbram . . consociant.	Hor. c. II, 3, 9 sqq. pinus ingens albaque populus umbram hospitalem consociare amant.
Sid. ep. II, 8, 2 neniam funebrem non per elegos . . marmori incisam.	Hor. carm. IV, 8, 13 non incisa notis marmora publicis.
Sid. ep. II, 12, 2 extr. inter spem metumque . . credidimus cet.	Hor. epist. I, 4, 12 inter spem curamque . . . crede cet.[1]
Sid. ep. II, 12, 3 seduli languidos multos officiosissime occidunt.	Hor. epist. I, 7, 8, (officiosaque sedulitas cet.) vid. huius disputtat. pag. 55.
Sid. ep. II, 13 cap. 6—8 incl. tota narratio illa sine dubio conscripta est ad exemplum	Horatii sat. II, 6 v. 102—117. Uterque poeta simili fabula usus carmen ad finem perducit.[2]
Sid. ep. II, 13, 7 spargeret peregrinos naribus odores.	Hor. carm. II, 15, 6 sq. myrtus et omnis copia narium spargent olivetis odorem.
Sid. ep. III, 1, 5 etsi . . possessionis turbidae metas in Rhodanum Ligerimque proterminant.	Hor. carm. III, 16, 41 quam si Mygdoniis regnum Alyattei campis continuem; adde Hor. c. II, 2, 10 sq.
Sid. ep. III, 2, 4 secundum vota promotis bonorum cet.	Hor. epod. VII, 9, secundum vota Parthorum . .
Sid. ep. III, 7, 4 secundus rumor invexit.	Hor. epist. I, 10, 9 rumore secundo (fertis) cf. Hor. sat. I, 4, 125.
Sid. ep. III, 13, 8 taceo, quod alarum specubus hircosis cet	Hor. epist. I, 5, 28 sq. —
Sid. ep. IV, 1, 1 nam facultatum inter germanos prius lite sopita iam qui nascuntur ex fratribus, nihil invicem controversantur . . . secundus nobis animorum nexus accessit de studiorum parilitate, quia idem sentimus, culpamus, laudamus in litteris et aeque nobis quaelibet dictio placet improbaturque. Cf. Sid. ep. IV, 4, 1.	Hor, epist. I, 10 v. 3 sqq. at cetera paene gemelli | fraternis animis, quidquid negat alter, et alter, | adnuimus pariter; e. q. s. (Vid. huius quaestionis pagg. 30 sq. Neque vero Horatianum illud ,multum dissimiles', quod praecedit, (l. c. vers. 3.) desideratur apud Flacci imitatorem.[3]

[1]) Fulcitur fortasse hoc Flacci loco scriptura „metumque" Sidoniana (cod. Vatic. 3421 exhibet „et metum").

[2]) Accuratius intuentem etiam verborum similitudines non fugient; Sid. dicit: „tunc ille confestim laetum clientem . . aureo lecto sericatoque toreumati imponit"; sim. Hor. sat. II, 6 v. 106 sq. ergo ubi purpurea porrectum in sede locavit | agrestem (infra v. 111 „laetum convivam").

[3]) Vid. Woelfflini „Lat. u. roman. Comparat." pag. 8, qui vir doctus hunc locum poetae Venusini composuit cum Sid. epist. IV, 24, 3 „multum ab antiquo dissimilis incessu".

Sid ep. IV, 1, 3 incude formatus.	Hor. art. p. v 441 incudi tornatos; (adde Sid. ep. IX, 13, 2).
Sid. epist.. IV, 12, 2 tantamque mihi bilem nuntii huiusce contrarietas excitavit.	Hor. epist. I, 19, 19 sq. ut mihi saepe bilem . . movere tumultus.
*Sid. ep. IV, 22, 6 extr. venenato morsu secere.	Hor. epist. I, 14 v. 38 morsuque venenat. (Geisl. diss. p. 13.)
*Sid. ep. IV, 23, 2 scopulis durior duras aut . . perseveras.	Hor. c. III, 7 v. 21 sp. scopulis surdior . . audit adhuc integer. (vid. Geisl. in Luetj. edit. p. 365).
Sid. ep. IV, 23, 3 quam laetus orietur tibi dies.	Hor. sat. I, 5, 39 postera lux (= dies) oritur multo gratissima.
*Sid. ep. IV, 24, 3 extr. si quid in cibis unctius [1]) (Geisl. in Luetj. ed. p. 365).	Hor. ep. I, 15, 44 verum ubi quid melius contingit et unctius (cf. Hor. ep. I, 5, 6).
Sid. ep. V, 4, 2, extr. offensae amaritudinem politis affatibus dulcare.	Hor. epod. XIII vers. extr. illic omne malum . . levato | deformis aegrimoniae dulcibus adloquiis.
Sid. ep. V, 10, 2, praetervolantia corporis decoramenta currentis aevi . . labascunt.	Hor. carm. II, 11, 4 sqq. nec trepides in usum | poscentis aevi pauca: retro fugit | levis inventas et decor.
Sidonius epist. V, 12 ita incipit: quod rarius ad vos a nobis pagina meat . . .	Horatius sat. II, 3 sic incohat: Sic raro scribis, ut toto non quater anno membranam poscas.
Sid. ep. V, 16, 2 armis pariter summus Augustus ac moribus [2])	Hor. epist. II, 1, v. 2 res Italas armis tuteris (sc. Auguste) moribus ornes.
Sid. ep. V, 17, 5 praeterea, quod beatissimum, nulla mentio de potestatibus aut de tributis, nullus sermo qui proderetur . . ; fabulam certe referre dignam relatu dignisque sententiis quisque potuisset.	Hor. sat. II, 6, 70 sqq. ergo sermo oritur non de villis domibusve alienis nec, male necne Lepos saltet . . ; Cervius haec inter vicinus garrit aniles ex re fabellas; si quis nam laudat . . opes, sic incipit: olim [3]) e. q. s.
*Sid. ep. VI, 8, 1 extr. bene credulis E. Geisler (Luetj. ed. p. 368) componere vult	cum Hor. c I, 11, 8 minimum credula.

[1]) Hanc locutionem in sermonis cotidiani consuetudinem abisse suspicor; cf. Hor. art. p. 422 (unctum qui recte ponere possit); simil. nostrates in sermone Germano „etwas Saftiges (Geschmalzenes)“.

[2]) Poetam Arvernum initium primae epistulae alterius libri Horatiani exprimere iterum ac saepius docuimus.

[3]) De hac clausula supra iniecimus mentionem (v. pag. 58).

Sid. ep. VI, 12, 1 extr. quinque usque in extimos terminos Galliarum caritatis indage porrecta prius soles . . .	Hor. carm. IV, 15 v. 13 sqq. per quas Latinum nomen et Italae crevere vires famaque et imperi porrecta maiestas ad ortus solis [1]).
Sid. ep. VI, 12, 3 omitto te . . . sic abstemium iudicari, ut constet indesinenter regem praesentem prandia tua, reginam laudare ieunia; ibid. c. 5 post segetes incendio absumptas e. q. s.	Hor. epist. I, 7, 37 sq. saepe verecundum laudasti rexque paterque | audisti coram nec verbo parcius absens; — ibid. v. 86 sq.
Sid. ep. VI, 12, 6 extr. victum civitatibus Tyrrheni maris erogaturus granariis tuis duo potius flumina complesti	Hor. carm. III, 24, 3 sq. caementis licet occupes | Tyrrhenum omne tuis et mare Apulicum.
Sid. ep. VII, caput tertium cf. cum	Hor. epist. I, 7 v. 56—59 [2]).
Sid. ep. VII, 4, 1 nos damus verba, vos munera	Hor. carm. IV, 8 v. 9—12.
*Sid. ep. VII, 7, 5 statum concordiae tam turpis incidite.	cum Hor. epist I, 14, 36 nec lusisse pudet, sed non incidere ludum' confert E. Geisler in Luetj. ed. 370.
Sid. ep. VIII, 8, 2 puid super tanto debeam negotio facere.	Hor. ep. II, 1, 1 cum tot sustineas et tanta negotia vid. pag. 58.
Sid. ep. VII, 18, 2 quod ita mens pateat in libro velut vultus in speculo.	Hor. sat. II, 1, 32 quo fit, ut omnis votiva pateat veluti descripta tabella | vita senis. — cf. etiam Hor. carm. IV, 10, 6 sq.
Sid. epist. VIII, 6, 10 initium cf. ibid. 13 litoribus curvis.	cum Hor. epist. I, 4 initio. Hor. epod. 10, 21 curvo litore.
Sid. epist. VIII, 11, 3 etiamsi non eum rebus humanis vis impacta rapuisset.	Hor. carm. II, 17, 5 sq. si (te) . . rapit maturior vis et Hor. carm. II, 13, 19 sq. sed improvisa leti vis rapuit rapietque gentes.
*Sid. ep. VIII, 12, 5 extr. hic . . sereni brumalis infida vitabis, cf. Sid. XI, 114 sq. et huius disputationis pag. 52.	Hor. carm. I 17, 17 sq. hic in reducta valle Caniculae vitabis aestus; adde Tib. I, 1, v. 25. (vid. Geisl. in Luetj. ed. 377).

[1]) In utraque comprehensione comparanda formarum magis quam rerum rationem habeas; namque hoc in loco Sidoniano atque in eo, qui subsequitur, reminiscentia tantum Horatiana latere videtur; de imitatione vix potest cogitari.

[2]) Ut supra (p. 62) Paldamo adsensi contendimus Sidonii epist. I, 5 eodem sermonis colore distinctam esse, qui in Horatii sat. I, 5 occurrit, ita Sidonii epist. VII, 2 dictionis Horatianae fuco tamquam oblitam esse unusquisque fatebitur, qui Horatii epist. I, 7 curiose perlegerit. Difficile sane est levissima illa imitationis genera verbis describere vel adumbrare documentis, quae omnis sentiet, qui in utriusque scriptoris dicendi rationes altius penetraverit. Cf. Sid. cap. 7 initium cum Hor. ep. I, 7 v. 82 sqq., Sid. cap. 7 exitum cum Hor. eiusd epistul. v. 76 sqq.

*Sid. VIII, 16, 4 verba Saliaria . . vel Sibyllina e. q. s.[1])	Hor. epist. II. 1, 86 Saliare Numae carmen (vid. M. Hertz, anal. crit. V, p. 17 adn. 2 et Geisleri diss. p. 13 adn. 2).
Sid. epist. IX, 9, 12 quam tu adhuc iuvenis inter hostiles conspicatus catervas, nil per obstantes repulsus proeliatores.	Hor. carm. III, 20, 5 sq cum per obstantes iuvenum catervas ibit e. q. s. adde Hor. c. III, 5, 50 sq; cf pag. 20.
Sid. ep. IX, 9, 14 Zenon fronte contracta, Epicurus cute distenta.	Hor. sat. II, 2, 125 contractae seria frontis; Hor. epist. I, 4, 15 sq. (me) curata cute vises . . Epicuri de grege porcum.

Reliqua studiorum Horatianorum vestigia in hisce locis deprehendi posse censet Geislerus[2]):

Sid. ep. II, 2, 2 . .	pag. 356	Sid. ep. VIII, 5, 2	diss. 15
» » » » 16 . .	» 358	» » VIII, 7, 1	pag 274
» » » 9, 10 . .	» 359	» » VIII, 9, 5) »	275
» » V, 7, 4 . .	diss. 15	» » » 10, 3) »	
» » VII, 3, 1 . .	pag. 369	» » » 11, 7	» 376
» » VIII, 3, 5 . .	diss. 13	» » IX, 6, 2	» 379
» » » 4, 2 . .	pag. 373	De ceteris locis memorabilibus supra facta est mentio.	

Restat, ut quaestione mea ad finem perducta fructus, qui ex illa decerpi possunt, in brevi conspectu ponam. Vidimus igitur Sidonium, quem constat exemplaria Romana nocturna versasse manu, versasse diurna,[3]) Venusini quoque poetae carmina tam bene memoria custodivisse, ut saepissime versus pangentis animo obversarentur. Atque potissimum carminum libros quattuor (atque imprimis quartum) poeta respexit, raro epodon librum, epistulas saepius quam sermones. Summis in deliciis Sidonius haec carmina habuisse videtur: carmin. lib. I, 7, 22, 35; lib. II, 1, 6, 20; lib. III, 29; lib. IV, 2, 4, 9, 14; carm. saec; epod. 2; sat. lib. I, 5, 6; lib. II, 1, 6; epist. lib. I, 2, 5, 7, 10, 14; epist. II, 1 (init.) et 3 Neque vero mirum est Apollinarem nulla Flacci poemata saepius imitando expressisse, quam sat. II,1 et artem poeticam, ex quibus eum versus quosdam

---

[1]) Dubito, num recte Hertzius et Geislerus hos locos composuerint, quoniam multi scriptores carminum Saliarium mentionem faciunt (velut Quintil. I, 6, 40; Varro de ling. lat. 7, 2; Symmach. epist. III, 43) neque ullo alioqui vinculo utriusque scriptoris verba inter se cohaerent.

[2]) vid. diss. pagg. 13—15 et in Luetj. ed. p. 353—383, quos numeros adieci.

[3]) Haud male quadrare ad Sidonium mihi videntur ea, quae ipse dicit epist. VIII, 8: cribebat adsidue, quamquam frequentius scripturiret; legebat enim incessanter auctores cum everentia antiquos e. q. s. Cf. etiam Teuffel-Schwabe, litt. Rom. histor[5], pag. 1199.

integros addito Horati nomine protulisse novimus. Ita Sollius eorum Flacci carminum, quorum tamquam plenus erat, palam se praebuit peritum.[1]) Praeterea hic scriptor etiam in epistulis plerumque eadem Musae Venusinae opera in artem suam convertit (velut carm. lib. II, 1; IV. 2; 14; carm, saec.; sat. lib. II, 1; 6; epist. lib. I, 10; lib. II, 1 et 3). Quapropter a veritate non valde aberret, si quis putet certis Flacci carminibus Sidonium magnopere esse delectatum.[2])

Concedendum sane est harum, quas proposui, similitudinum nonnullas casu ortas esse, cum haud raro usu veniat, ut duo idem cogitent. At similes sententias etsi e duorum virorum mentibus prosilire posse libenter concedimus, tamen minime veri simile esse censemus fore, ut a duobus viris sententiae similes geminis exprimantur verbis. Porro tot et tales horum scriptorum similitudines attulimus, ut pro certo adfirmari possit luculentam inter eos intercedere conspirationem Sidoniumque non modo paucis illis locis,[3]) de quibus post Savaronem Geislerus testis exstitit, sed multo pluribus vestigia Venusini poetae pressisse. Certe Apollinaris Horatii non minus gnarus fuit quam Papinii Statii et Claudii Claudiani. Sed plerumque Sidonius »fidicinem lyrae Romanae« non ita imitatus est, ut maiorem carminis partem vel complures versus Horatianos sine magna variatione in rem suam transferret; sed comprehensiones, carminum frustula, locutiones,[4]) versuum particulas aemulus ille libris suis inseruit. Rarius ampliores poematum Horatianorum partes expressit.[5]) Nonnullos autem Flacci locos — nisi opinio me fefellit — ita imitatus est, ut splendidissimum Musae Venusinae nitorem vel paullum in peius declinaret[6]) vel magnopere inquinaret. Sed accedunt alia ad haec, quae magis offendunt legentium animos. Infelici enim ubertate scriptor ille praeditus est atque ob ipsam illam ubertatem suus ipse identidem exsistit imitator[7]) et voces ac sententias haud semel eiusdem carminis (sive epistulae) iterat. De eius modo scribendi semotis poetarum Romanorum imitationibus multa sunt notanda, quaedam reprehendenda. In versibus fundendis non incallidus, nimia subtilitate sententias involvit adeo, ut mentem saepius obscuret quaesita caligine et audaciae indulgeat, cuius terminos vix adgnoscas. In involuta saepissime allegorica oratione atque historia fabulari morem Alexandrinorum poetarum adfectare videtur poeta, cum intemperanter metaphoris utatur ac nimia docilitate nitescere studeat. Ideo usque ad satietatem molestiamque figuratas usurpat voces. De illo poeta tamen iudicium non plane aequum ferremus, si notatis reprehensisque vitiis non ingenue profiteremur aliquoties eum feliciore sane ingenio esse usum. Exstant enim in Sidonii scriptis loci eximia laude haudquaquam indigni. Per molestam ac saepe sterilem ubertatem nonnulli sicut flores in

---

[1]) Cf. notissimum illud „wovon das Herz voll ist, davon geht der Mund über".

[2]) Quae Germanice vocamus „Sidonius' Lieblingsgedichte aus Horaz".

[3]) Nonnullos doctus ille vir falso tribuit Vergilio vel falsis Horatii locis.

[4]) Quarum in tertia huius quaestiunculae parte habui rationem. Ubi si fortasse unum alterumve exemplum legitur, de cuius fide dubitari possit, satis habebo amplificasse Geisleri „locos similes autorum Sidonio anteriorum".


[5]) Aliter atque in Papinii Statii imitatione; Cf. Bitschofsky, l. l. pagg. 9—59. Doctus ille vir argumentis gravibus refutasse mihi videtur Mohrii vanam coniecturam: „Die augenscheinlichen Entlehnungen aus Ersterem (Claudian) wohl doppelt so zahlreich (als aus Statius)" vid. P. Mohr, Zu Sidonius' carmina, Progr. Laubach. 1881.

[6]) Cf. Quintiliani acute dicta in instit. orat. X, 2, 16 extr.

[7]) Exemplis huius generis abundat editio altera Jo. Savaronis.

desertis adparent et nitescunt sermonis venustates atque elegantiae prope sinceram redolentes antiquitatem[1]); itaque taedium hoc lepore inexspectato aliqua certe ex parte compensatur. Denique labeculas ac vitia Apollinaris operibus adspersa partim temporibus iustius quam ingenio male nato tribueris.

Sed labor longius. Iam opusculo meo finem imponam satis superque contentus, si hoc adsecutus ero, ut Venusino sive Lugdunensi poetae uno alterove loco aliquid, quantulum id cumque est, profuisse videar.



[1]) Quod si re pexerimus, haud difficile erit intellectu, cur Francogalli Sidonium Caesari parem fecerint.





